Contenta.

Plura Scripta Hannenbergiana v. in SVEL. Theol.
Annal. Decenn. 3 p 224

5.

THEO-LOGIA CONTROVERSA

Totam Fidei Christianæ Catholicæ

DOCTRINAM

Succinctè & dilucidè complectens:

Faciliori Usui

Per

P. GODEFRIDUM HANNENBERG, Societatis JESU

ACCOMMODATA.

1723.

POSNANIÆ.

Typis Clari Collegii Soc: JESU.

In avitum Stemma
ILLUSTRISSIMORUM COMITUM
de FLEMMING.



Quam bene Flamminiis Domus hæc tribuatur avita,
Romuleæ Stirpis Nobile Stemma probat.
Nec malè præfixum Decus hoc in fronte Libelli,
Et veluti primum cernitur esse Caput:
Hujus nam Pater Authoris, Lojola Beatus,
Ejusdem Tecum Stemmatis, Alma Domus.

ILLUSTRISSIMO,
Et
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
D. JACOBO
HENRICO
S. R. I. COMITI
de
FLEMMING,

Serenissimi Poloniarum Regis &
Saxoniæ Archi-Ducis
M. Ducatûs Lithvaniæ
PRÆFECTO STABULI,

Generali Campi
MARESCHALCO,
Actuali intimo Statûs
MINISTRO,
& Primo
CONSILIARIO,
ac Judiciorum Militarium
PRÆSIDENTI:
Ducatûs Pomeraniæ Hæreditario
MARESCHALCO,
Ordinis Equestris S. Joannis
DIRECTORI,
Aquilæ Albæ in Polonia,
Elephantis in Dania,
S. Andreæ in Russia,
EQUITI CELEBERRIMO:
In
Schlawentzig, Schlabozewice, Molizyn, Burgscheidungen, Nebra,
& Bürkigt, &c. &c.
DOMINO,
DOMINO meo FAFENTISSIMO.

NOn cum profanis Artibus, non cum splendido assentationis apparatu, non denique *In sublimitate sermonis aut persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis ; sed in ostensione Spiritûs* , (1. Cor. 2. v. 4.) ad TE venio : ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME DOMINE. Scientiam affero Divinam : *Quæ Filiis suis vitam inspirat , & suscipit inquirentes se , & præibit in via Justitiæ , & qui illam diligit , diligit vitam.* Eccli: 4. v. 12. Cui subscripsit Sapiens : *Infinitus Thesaurus est , quo qui usi sunt , participes facti sunt Amicitiæ DEI.* Sap. 7. v. 14. Compertum enim habeo, TE nihil magis, quàm quæ DEI sunt , æstimare. Theologiam , quam Controversam vocant, mecum fero : cùm vel ipsâ experientiâ didicerim , nihil TIBI , COMITUM ERUDITISSIME , è pu-

blico Negotiorum ſtrepitu, intra domeſticorum Larium cortinam pauliſper ſemoto, familiarius eſſe, quàm de Fidei Oraculis diſſerere; nec aliter protunc loqui, quàm erudire; & vel hoc ipſo demonſtrare, TUUM, in tot Libris, quos ſtudioſè evolviſti, Caput, primum eſſe. Controvertant inter ſe Scientiæ, Honores, Faſces, Ducum Clavæ, Principumque Trabeæ, & omnes ſuum vendicent FLEMMINGIUM: poſtquam verò utrinque acriter diſputatum fuerit, tandem, quòd extra controverſiam ſit, Magnum hunc GENERALEM CAMPI MARESCHALCUM, omnibus æquali jure deberi, concludet Theologia.

Hîs, in primo Dedicationis limine exaratîs, attonitus hæreo, cùm prævideam, ILLUSTRISSIMUM DOMINUM MEUM, compoſito ad ſeveritatem Vultu, in hæc aut ſimilia proru-pturum: *Procul hinc Encomia! odi ego hyperbolicas Præconiorum auxeſes, totiesque me pungi exiſtimo, quoties acutum in meas Laudes calamum animadverto.* Bene eſt, COMITUM MODESTISSIME, etiam ego Modeſtiæ TUÆ condeſcendam: & quoniam optimè novi, TE Laudibûs

digna

digna agere malle, quàm laudari; nihil
præter aliquot duntaxat Rationes in
medium proferam, quibûs permotus
ſum, ut præſentem Lucubrationem Ho-
nori TUO conſecrarem. Si quid au-
tem interea de præclariſſimis Facinori-
bus TUIS irrepſerit, non velut ab Ora-
tore Panegyrico, ſed veriùs fideli Hiſto-
rico conſcriptum patiare. Scio qui-
dem, nec talia Guſtui TUO arridere,
cum Opera Purpurîs digna non aliter
reclinari velis, quàm ſub Roſa, malis-
que rectè facere, quàm aut laudari
quòd feceris, aut ſciri. Verùm quod
TUAM Modeſtiam, non tamen meum
commendat Zelum. Non delecteris ſa-
nè hîs, quæ ſcribo; ſed delectetur Mun-
dus univerſus: ædificentur Nationes,
imitentur Principes, diſcant Poſteri tan-
ta ſequi Veſtigia, ſi fortè aſſequi pote-
runt. Mei muneris eſt, conatum o-
mnem impendere, ut illud Salvatoris
noſtri monitum impleatur: *Sic luceat
lux veſtra coram hominibus, ut videant Ope-
ra veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum
qui in Cælis eſt.* Mat. 5. v. 16. Et quam-
vis audax propenſio mea indignatio-
nem quandam reportaret; (*Iraſcimini*

& nolite peccare, inquit Apoſtolus, Ephe. 4. v. 26.) malo tamen ædificationi omnium conſulere, quàm Modeſtiæ TUÆ nimiùm indulgere.

De Provincia Polona Theologus ad TE venio, & laborem meum dedicaturus, & avitas Illuſtriſſimæ Domûs Ceras, quas in ſuccum legere è Librorum foliis licuerat, in TUI Honoris Ara reaccenſurus. Nec incongruenter: Unum enim es, de primæ Magnitudinis Poloni Cæli Sideribus, ad quod literaria iſtius Provinciæ atomus, ceu Solis attracta radiô, naturali quodam ductu aſcendat: *Illuſtriſſimus M. Ducatûs Lithvaniæ Præfectus Stabuli, Intimus Sereniſſimi Poloniarum Regis Miniſter Statûs & Conſiliarius, Emeritiſſimus Campi Mareſchalcus, & Generalis in Rebus Bellicis Præſidens* &c. alioſq; innumeros in commune Poloniæ Bonum commodas Titulos, ut Hæc viciſſim multiplici vinculo in TUOS adſtringatur amplexus. Juncta Affinitate tot Polonorum Procerum Nomina interim prætereo, ne in immenſum excurram: ſatis eſt, TE Poloniæ Regibus Affinem eſſe, Illuſtriſſima enim SIGRIS CATHARINA de BIELKEN, Connubialis

Tori

Tori Socia Excellentissimi Fratris Tui Patruelis, JOANNIS GEORGII COMITIS de FLEMMING, Generalis Majoris & Equitis Ordinis S. Joannis, ex eadem Stirpe promanat, unde Rex Sveciæ, Sigismundi Poloniarum Regis Pater, Reginam sibi adoptaverat. Accessit Thesauro Poloniæ grande pretium in Illustrissima de FLEMMINGIIS PREBENDOWSKA, Thesauraria Regni, præfati Excellentissimi Generalis Majoris Sorore: simulque tot colligatas Familias, *Radziwiłorum, Potocciorum, Działynsciorum, Dąmbsciorum, Kosciorum, Grudziniorum, Kczewsciorum, Dorpowsciorum, Czapsciorum, Wilmsdorfiorum, Sczawinsciorum*, &c. &c. ceu torquem aureum huic Nomini apposuit, ut TU, MAGNE MARESCHALCE, Torquatus Lechiæ absque assentatione dici merearis. Ultra Hos, in eodem Torque habes & Regni Annulum, ceu grandem Decoris TUI Partem, & specialis Amicitiæ Unionem, ILLUSTRISSIMUM REGNI CANCELLARIUM, ejusque Domum Nobilissimam. Regni Ille, Annulus, imo si annulus Orbis est, etiam Universi Gemma, quæ ita in Serenissimi Augusti

 gusti

gusti Corona, totque Poloniæ Majorum Ceris refulget, ut etiam TIBI candore suo affulgeat constantissimè.

Nec recens, FLEMMINGII SANGUINIS Lineam, Polonus duxit Apelles. Jam ante aliquot secula, Illustrissima Domus Vestra Consanguinitatis Arborem in hoc Solo plantaverat. Rubuit toties Progenitorum Vestrorum Sanguis in Senatorum Purpuris. Veritatem hanc demonstratam habuit Resp. An: 1701. palamq; omnibus deductum est, ante 150. Annos, & ampliùs, publicis Regni hujus Officiis perfunctos, Possessionatos Heredes, Dignitatum Successores, TUOS Proavos fuisse. Qui Jura scrutari desiderat, Acta saltem Castri Palatinatûs Culmensis evolvat, & velut inter terræ viscera aurum, NICOLAUM de FLEMMING, publicô, solisque Nobilibus Polonis proprio enituisse Officiô, annotabit: discetque illô Judiciô teste, Nomen FLEMMINGIORUM, à tot Seculis in Polonia esse Inquilinum.

Ultra antiquissimi Nominis Splendores, tot seculorum decursu, etiam optima de hoc Regno Merita, Poloniæ Fastis

ſtis inſeruêre FLEMMINGII. Exiſtimabant enim non ſatis eſſe, avitâ Nobilitate exornâſſe Patriam, verùm etiam tam commune Reip: Bonum Meritìs adaugeri, quàm proprii Nominis Famam Actis comprobari debere. Quæ proinde, ſicut ab omnibus debitæ gratitudinis Officium, ita à me, hoc licèt vile obſequium, jure merito repoſcunt. Si omnes Legationes pacificas, quas à variis Exterorum Principibus ad Remp: Polonam obierunt FLEMMINGII, recenſere; ſi omne id, quod ad Bonum commune, & publicam Regni tranquillitatem fecerant, enarrare præſumerem; intra exiguos Libri hujus margines Oceanum comprehendere attentarem. RICHARDUS de FLEMMING An: 1552. Tractatum, Poloniam inter & Pomeraniam ac Mekelburgenſem Ducatum, promovit feliciter. JOANNES HENRICUS de FLEMMING An:1622. variîs Legationibûs pacis perfunctus, optimè huic Regno conſuluit. EUSTACHIUS FLEMMING, Gedani, Pactis Olivenſibus interfuit, & Conſilia pacis ſtabilivit. Verbô, quisque FLEMMINGIUS, quoties Principum Mercu-

rius

rius in Poloniam veniret, Orator fuit pro hoc Regno pacificus. HEINO HENRICUS COMES de FLEMMING, Vir Heroicîs Facinoribûs totâ Europâ Celeberrimus, TUUS, Illustrissime Campi Mareschalce, Patruus, Supremum auxiliarium Copiarum, quas Archidux Elector Brandeburgicus, Poloniarum Regi Michàéli in suppetias contra Turcas submiserat, Regimen tenuit: cujus activitate, obseratâ Portâ Othomanicâ, pax altissima subintravit Poloniam.

Hæc, aliaque complura, in TUIS Majoribus, præmisisti in Poloniam Merita, antequam TUA, HEROS GLORIOSISSIME, indigenti Patriæ subvenirent. Et venerunt comitatu magno, ingenti processerunt numerô, sic enim Principem decuit incessisse Benevolentiam. TIBI debet Sancta Mater Ecclesia, & Resp: nostra Polona, quòd Catholicum Principem, tamque Augustum nacta sit Regem. TUÆ activitati & Fortitudini subscribimus, quòd Livoniam & Rigam è Svecorum manibus, eo fine, ut ad Poloniam redire valeat, cernimus vindicatam. Pro Reip: tran-

quil-

quillitate, ejusque Moderatore Serenissimo quantum ad Pinczowum egeras? non operam duntaxat, & tot bellicos labores, verùm etiam Sanguinem proprium, sauciato, in ipso conflictu, Corpore, abundè impendisti. Cùm adversæ Fortunæ prædominiô, solæ calamitates Poloniam oberrarent, TU, ceu Angelus pacis, nunc in Daniam, nunc Berolinum, nunc Brunsvicum &c. Magnus Serenissimi Legatus à Latere, evolabas: & propriis Fortunæ ac Virium impensîs, àéris inclementiâ, viarum incommodîs desudando, etiam vitam propriam in Reip. Salutem propinabas. In hunc finem, Berolini, Regem Prussiæ, cum universa Aula sua, 30. & amplius millium expensîs, splendidissimo excepisti Apparatu, ut ad commune Fædus invitares: quod etiam successit feliciter, illo eventu pacis, qua nunc beatè vivimus in Polonia, & gratissimâ semper memoriâ, tanta recolimus Beneficia. TUA quoque Industria stetit, quòd Imperatorio muniti Fædere, terrores Othomanicos minimè formidemus. Plura hìc accludere Merita non attento, ne aut brevitate styli in præclara Gesta obscurus;

ſcurus; aut tenuitate paginæ, Rectèfactorum Magnitudini injurius fiam.

Unum duntaxat affero, cujus ego teſtis exſtiti oculatus, & in illo publicæ calamitatis Theatro ſpectavit Polonia: nimirum quanta ſolicitudine & ſtudiô, quanta Humanitate omnibus Delegatis exhibita, quibûs incommodîs, noctium vigiliîs, laſſatîs viribus, & nunquam defeſsô animô, Tractatum illum pacificum, Lublini primùm ſtrenuè promoveris, & tandem Varſaviæ perfeceris. Repoſuerat in Manus TUAS grande iſtud Negotium Rex Sereniſſimus, & ut Paternum in ſubditos amorem demonſtraret luculentiùs, manifeſtavit eum per Cor ſuum FLEMMINGIUM. Videre protunc erat, Heroem illum Animum, Marti congenitum, Bellis innutritum, Triumphis aſſvetum, bellandi Gloriâ plenum, videre erat, aſſiduis intereſſe Congreſſibus, etiam inſomnes traducere noctes, nullis parcere laboribus, ſeque totum in pacis Conſilia diſpenſare. Quare? in hunc unicè finem, ut Reſp: per tantos Sudores, poſt tot diſcrimina rerum, velut è lethali morbo, ad priſtinam eluctari valuiſſet

Inco-

Incolumitatem. Et re vera ſtetit Induſtriâ TUA, Magne Bellô, Paceque MARESCHALCE, collapſa Regni proſperitas, cui TU, unà cum Aliis optimè de Polonia meritis, Manum porrexeras. Crevit Sudore TUO, ceu rore gemmeo, non vana ſpes pacis in herba: ſucceſſit poſt tot procellas malacia, in qua nunc Reip: Oneraria, TE Palinurô, navigat ſecuriſſimè; advenit optatiſſima Exercitûs Reformatio, & cum illa, grandis hæc, qua omnes abundè perfruimur, publicæ tranquillitatis Beatitudo.

Non modò bellantis, ſtrepitu perterrita Ferri,
Turba fugit: populumq; ferox non Miles inermem,
In mediis vigilem comitari noctibus, urget,
Nec jubet invitum, Martem ſpirare, Colonum.
Quod modò pallebat, fulget ſecuriùs aurum,
Liberiorque venit priſco de carcere gemma,
Jactat, & Auguſti, tutùm ſplendere Coronâ.

Bonum hoc pacis TIBI meritò adſcribunt omnes Optimates. Unionem animorum TUÆ Activitatis ſphæræ, ceu annulo inſerunt omnes Regni Ordines. Univerſus denique Populus, (ut quotidiana docet experientia) jam gràvamine liberas in Cælum protendit manus, mille vota, mille ſupremo rerum Arbi-

tro

tro commendat ſuſpiria, ut Sereniſſimum Regem, utinam ſemper occaſûs neſcium! eosque omnes quorum labore tanta pacis beatitudo exuberat in Polonia, in annos plurimos, Incolumes patiatur. Idem enim, quod olim de Iſràëlitis, nunc in nobis verificari experimur: *Habitabat Iſràël absque timore ullo, unusquisque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, à Dan usque Berſabee, cunctis diebus Salomonis.* 3. Reg. 4. v. 25.

Omnia hæc per TUAS veniſſe Manus, grata agnoſcit Polonia: TUA Dexteritas ſilentium Armis impoſuit: Sudore TUO, pacis Oleæ ſuccrevêre. Nihil enim aliud unquàm volvebas in Animo, quàm ut pacem inveheres in Poloniam. Recenti ſemper memoriâ illam Principem recolo Benevolentiam, quam ILLUSTRISSIMUS MARESCHALCUS, mihi ſervo ſuo Lublini teſtari dignatus: quarum Gratiarum, id ſolùm cauſa fuerat, quòd Sacra Oratione, quam absque alterutrius Partis læſione, ante Tractatum peroraveram, Armorum ſtrepitus, Animorumq; averſiones diſſvaſerim. Habes itaque, ſicut devinctam TUIS Meritis Poloniam,

am ita me quoque hujus Provinciæ inquilinum, TUIS Beneficiis obligatissimum: qui citra grande piaculum aliter procedere nequeo, quin aliquot folia, nunquam obliteratæ gratitudinis plena, Honoris TUI Arbori devoveam.

Et quidem ad TE venio COMITUM ÆSTIMATISSIME, ex Posnaniensi Athenæo, cujus magna Gloria, TE olim inter Nobilissimos Eloquentiæ Auditores, unà cum *Illustrissimo Generali Fratre* TUO, numerâsse. Si Palæstra hæc, nondum sui Nominis heres esset, tum dici mereretur Majoris Poloniæ Pallas, cùm à Magno Vestro Nomine grande sortita incrementum. Certè, quod aliquando fuerat Alexander Persiæ Domitor Aristoteli, hoc TU Professori Societatis, Persiæ postea Apostolo. En, quo olim sidere gloriabatur Posnaniensis Rhetorica, nunc jam sole glorietur Theologia. Et qui Juventutis TUÆ Flore Hortos nostros adornâsti Oratorios, nunc Scientiarum Gemma, in Mari Theologico (quod intra Libri hujus conclusi margines) effulgeas venustissimè.

Accedo præterea confidenter è Societate JESU Theologus: nunquam enim

hactenus Societati noſtræ aditum denegâſti. Tot ſemper exhibuiſti Reſpectus benevolos, quot illa ſupplices libellos. Inter Bellorum ſtrepitus, humaniſſimè excipiebas accurrentem, allevabas prægravatam, afflictam conſolabaris. Verbô, tot præſtitiſti MAGNE CAMPI MARESCHALCE, Societati noſtræ Gratias, quot illa preces fundere, TU verò exaudire poteras: & ideo omnes nos, Illuſtriſſimo Nomini TUO perpetuos habes debitores. Accedit & alterum, ceu quoddam affinitatis vinculum, quòd primus noſter Generalis & Fundator S. Ignatius, eodem cum Flemmingiis Stemmate, nimirum Gentilitiô Lupô inſignitus fuerit, per quod Societatem univerſam etiam ſpeciali nexu, habes DOMUI TUÆ devinctiſſimam.

Opus autem, quod in Conſpectum TUUM produco, Diſputationes Demonſtrationeſque Sacræ ſunt: TU Arbiter eſto: TU diſcerne cauſam meam: TU HEROS MAGNANIME, *ſume Scutum inexpugnabile, æquitatem.* Sap. 5.v.20. Novit Orbis, quàm in TUI Judicii Lance Veritas præponderet. Cæleſti Libræ

æmula

æmula eſt, quæ non ita in unam partem inclinat, ut aliquid Diei detrahat. Quàm rectum ſit Judicium TUUM, quàm potens & ſalutare Conſilium TUUM in Rebus politicis, in Negotiis publicis, dijudicet Mundus univerſus. Dum Polonia de novo eligendo Principe in Electorali Campo Varſaviæ deliberaret, & Votîs in diverſa tendentibûs, intricatiſſimum Sententiarum chaos adumbraret, *venit Illuſtriſsimus Comes noſter*, & Conſiliô, Humanitate, Ingeniô, Activitate ac Prudentiâ ſuâ, brevî temporis intervallô, tot contra potentes æmulos, Senatorium & Equeſtrem Ordinem in Sua Vota inclinavit; Regnum Auguſto, Reip: Catholicum Regem perſuaſit: unoque Ore tantum præſtitit, ut in omnium auribus reſonaret, VIVAT REX AUGUSTUS. O quanti Vir Conſilii! Ejus Conſiliis debetur, quòd non multò pòſt etiam reliqui Diſſentientes, ſuaviter & efficaciter in eandem pertracti ſint ſententiam. Tempore Incurſionis Sveticæ, ita conſuluit Regi & Reip: ut tandem optatiſſimus ille ſucceſſerit eventus, quem hodie ſereno vultu exultantes contemplamur. Et dum

Hoſtis omnes vires ſuas, velut Gigantæos montes in Cælum noſtrum jactaret; nunc cum fulminibus, ceu Jovis Poloni Armiger evolabat HEROS FLEMMINGIUS; nunc veluti Gemma, inter æſtuantes ſanguinei maris fluctus, ipsîs tacitè fovebatur periculîs, ſemper Coronæ Sereniſſimi inferenda. Jam triumphabat Conſiliô, cùm Daniam & Pruſſiam in commune Fædus pertraheret: nec magìs opprimere poterat Hoſtem, quàm tanta Conſilii gravitate. Jam vincebat gladiô, prout ſanguine toties ſubſcripſerunt Adverſarii, e. c. in Glorioſa illa Caliſſienſi; nec non Gadebuzenſi Actione, poſt quam Generalis Steinbok, Literîs ad Regem Pruſſiæ exaratîs confeſſus eſt, ſe totum adverſus Danos Negotium perfecturum fuiſſe, ni Flemming in ſuppetias veniſſet. Permitte, HEROUM SAGACISSIME, hæc, quæ dixi, etiam Hieroglyphicè adumbrari. Prodierat in medium Lupus Gentilitius, quem Celeberrima Domus Veſtra pro Stemmate gerit, cum Leone Svetico decertaturus, nec grandius ſpectaculum in Amphitheatro Romuli, Mundus viderat: Vario Marte hinc inde

de dimicatum est: Quid tandem? tandem succubuit Leo, & nihil præter sui pellem reliquit, grandes Exuvias, quas Humeris portare meruit Hercules noster Serenissimus.

Et quidem hunc recti Consilii Spiritum, videris cum Vita hausisse. Innatum enim TUIS Majoribus, (si tamen Majores TE sunt) Regibus & Principibus à Latere, id est à Corde semper esse & Consiliis. Quantum Judiciô, quantum Consiliô, GEORGIUS GASPAR COMES de FLEMMING, Illustrissimus Genitor TUUS, apud Archiducem Brandeburgicum valuerit, Historia Prussiæ deprædicet. Quantum HEINO HENRICUS, Illustrissimus Patruus TUUS apud Archiducem Saxoniæ, Annales Saxoniæ enarrent. Quantũ Joañes, Erdmanni Flemmingii major natu Filius, apud Imperatorem Romanum Venceslaum Consiliarius intimus, Fasti Domûs Austriacæ annuntient. Quantum valuerint apud Reges Sveciæ, Laurentius, Nicolaus, Claudius &c. &c. apud Reges Angliæ & Scotiæ Flemmingii qui prima Parlamenti Subsellia occupârunt, Monumenta Sveciæ & Britanniæ

tanniæ commemorent. Quantum omnes illi Flemmingii (quos citiùs ad Purpuras suffragium, quàm pagina ad calculum redigeret) qui primam Pomeranæ Nobilitatis Mareschalci Dignitatem, hereditario Jure per tot Secula possident, Codices referant Pomeraniæ. Quantum Tu, Excellentissime Generalis Campi Mareschalce apud Potentissimum Poloniarum Regem, Saxoniæque Archiducem, ac Serenissimum ejus Principem, hoc Cælesti Donô emineas, testatur Europa universa. Integrum TE Ambobus dederas, semper indivisus, ceu Consilii esses Anima, quæ tam in Capite operatur integra, quàm in Corde. In TUO Judicio Cardo Rerum vertitur, & quidem veluti Fortunæ rota, in qua semper succedunt prospera, palamque indigitant, quòd Antecessorum TUORUM Vestigia & impleveris & auxeris.

Quàm verò æquum sit Judicium TUUM in ponderandis etiam aliorum meritis, Sacramentô Militari universus testificabitur Exercitus. Illis committis Fasces, quos disciplinati commendant Mores: illum ad altiorem Gradum ele-

elevas, quem Virtus habet non abjectum. Non TE, ut in hanc vel illam propendeas partem, auri inclinat pondus: quàm enim immortalis Famæ es Heros, tam ſempet incorruptus. Qui TE ad diſtribuendos Bellonæ Faſces, Muneribus allicere tentaret, vel eo ipſo ſpem omnem amitteret Dignitatis. Adeo deteſtaris iniqua Munuſcula, ut poſtquam intellexeris, penſiones pro liberis Paſſibus, à quibusdam exactas fuiſſe, & obæratam, graviter puniveris conſcientiam; & ſpoliatam inopiam, aurô propriô redemeris. Si quem inter adverſi Martis procellas, poſt fortunatæ Navis naufragium, Officialem reſtituunt pericula ſuperſtitem, TUA naufrago adeo ſuffragatur Liberalitas, ut in ipſo littore ſe Gratiarum Mare inveniſſe glorietur. Etiam Viduas, vitâ functorum militum, non ſinis eſſe miſeras: ad tres menſes ſolvi jubes ſtipendium, ut miſerorum clypeus, Palladis Ægide nobilior, dici merearis, ad cujus conſpectum omnis calamitas obrigeſcit. Quantum in TUÆ Juſtitiæ Lance, ſola præponderent Merita, Exemplis ſi comprobare præſumerem, ſtellas numerarem.

Unum tantùm, mihi perquàm familiare affero; Virum scilicet tam Bellonæ quàm Palladis hastâ conspicuum: qui in omni campo Palmas meritus, Honori Serenissimæ Majestatis strenuè & indefessè militaverat. Et ecce adverso Marte, in exilium à Svecis amandatus: exul, mille periculis, terrâ marique jactatus: Fortunâ & tantùm non Vitâ exutus: tandem post innumera Constantiæ & Fortitudinis Documenta redux, illas à TE expertus est Gratias, quæ & innatam Principi Animo TUO Munificentiam decerent, & Meritis continuò succollantibus abundè responderent.

Permitte itaque COMES JUSTISSIME, ut ex tot probati Consilii atque Judicii præmissis, sub TUO Nomine, etiam Theologia concludat Controversa: Permitte, ut Æquissimi Judicii TUI Stateræ, has Fidei appendam Controversias. Huc enim inclinavit me æquanimitas TUA, pertraxit Veritatis amor, & denique persuasit illa Sacri Codicis illatio: *Requiescet super eum Spiritus Sapientiæ & Intellectûs, Spiritus Consilii & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ & Pietatis - Et ar-*

arguet in æquitate pro mansuetis. Isai: 11. v. 2.

Nec ineptè, totius Theologiæ Controversæ Summam Illustrissimo Nomine TUO inauguro; cùm etiam TU quoddam Scientiarum sis Compendium. Martis Palæstra Magistrum TE habet, post tot Stratagemata, tot præclara Experimenta Laureatum. Præter Lauros ex Bellonæ Campo, etiam Minervæ Laureas è Librorum foliis colligere assuevisti. Ista TE Folia detinent cum Negotia concedunt, non aliter quàm in suavi florum succo, apum Principem, sed armatum. In hunc finem, præter Bibliothecam quæ Caput TUUM est, aliam prægrandem possides, cujus Summa, in TUIS assiduè legitur Discursibus. Meam ego testem adduco experientiam, qui toties eruditior recessi, quoties ILLUSTRISSIMO COMITI collocutus. Hortos vidi adornari Oratorios, cum Rosas loquereris. Et quidem Eloquentiæ flumina, vario Linguarum genere, ceu multiplici Nilus ostiô effundis in alios. Latium, Italia, Germania, Gallia, Polonia, Anglia, &c. suum in TE reclinârunt Idioma: quasi plures

collaturus Gratias, Spiritus Domini ſuper unum Caput, cum pluribus Linguis reſediſſet. Matheſis TE pro Regula habet aurea. Illud Guſtui TUO arridet, quod Mappa explicat Geographica. Et inter has Scientias plurimùm eminet Rerum Theologicarum peritia, ut ex omni capite, Scientiarum Summa, tam facilè ſis, quàm eſſe dicaris.

Spero autem Librum hunc COMITI MEO CLEMENTISSIMO, vel ideo fore non ingratum, quòd totus ad modeſtiam compoſitus, placidè & ſuaviter Dogmata proponat; nec Partem quàm Rationibus oppugnat, aculeîs vulneret. Notum omnibus, nihil in Principe gratius eſſe quàm Comitatem & Clementiam. Hæc idem eſt Principi, quod adamas annulo, quod Coronæ gemma, cui & decorem addit & pretium. Hac magis attrahuntur animi quàm ferrum magnete. Certè plures Clementes imperâſſe novimus, quàm ſeveros. Ipſe Iſràélis Dux Moyſes, vel ideo Princeps populi, quia Virorum mitiſſimus. Innumerîs quidem coruſcas Virtutibûs, COMES ILLUSTRISSIME, auſim tamen dicere, quòd Clementia apud TE,

velut

velut inter Stellas Luna minores, præfulgeat. Illa TIBI in dicendo affabilitas, illa in agendo Gratia, in procedendo Humanitas, ut non magìs appareas MAGNANIMUS CAMPI MARESCHALCUS, quàm COMES MANSVETISSIMUS. Illi etiam qui se deliquisse in TE, fatentur, cultu humili vel semel exoratam habent veniam. Facilem supplicibus præbes aurem, illoque Vultu intueri consuevisti venientes, quo Sol dum etiam leves atomos in sublime attrahit. Non quempiam excubantes terrent vigiliæ, ceu esses Purpuræ Tuæ Rosa, quæ septa licèt pro Majestate excubiîs, omnem tamen blandè invitat dexteram & acceptat. Consuetum Dresdæ omnibus afflictis, turmatim ad TUOS confluere Postes, ut, quos inversa Fortunæ orbita malè devehit, per TUAM, etiam ad Majestatis Clementiam accessum inveniant. TU manu propria supplices omnium libellos in compendium redactos, ad Regem defers Clementissimum, & Hanc ipsam sublevandæ illorum porrigis indigentiæ. Quos verò extremè spoliatos Fortuna quæstui mendicos exposuit, singu-

ſingulîs ſextîs feriîs ſingulari ditas Eleemoſinâ, omnibus egenis Princeps aureus. Nullum oppreſſum absque levamine, nullum afflictum dimittis absq; ſolatio: nemo à TE recedit, quem dolor manuduceret, aut cui lacryma Comes eſſet. Affabilitatem TUAM Polona quoque celebrat Nobilitas: quotquot enim intimiùs TECUM egerunt, innatam, Agni ceu Velleris aurei, à Corde Principum penduli, deprædicant manſuetudinem. Tantæ igitur confiſus ſuavitati, etiam Controverſiam meam, leni admodum ſtylo, & perhumaniter exaratam, HUMANISSIMO COMITI inſinuare non vereor.

Præſertim, cùm hæc ſolam Animorum unitatem, Partiumque in Rebus Fidei concordiam ſpirare videatur. Novi ego, nihil magis ad guſtum TUUM eſſe, quàm quæ unionem Cordium, ceu quandam gemmarum potionem ſapiunt. Iſtud Honoris TUI Punctum exiſtimas, quod eſt in partes varias indiviſibile. Quantum verò in hac arte valeas, tot Fædera quæ TUA dexteritate compoſita, indigitant. Adſtrinxiſti Amico Fædere Moſchoviam, Daniam,

Pruſ-

Prussiam, Poloniæ, & Septemtrionis vinculis nos exemisti. Stabilivisti Pacta, quibûs Polonia à terroribus Orientis (si tamen TE HEROE instructa, aliquid metuere potest) vindicata. Et quod majus est, Prægrandis ille & insolubilis inter Augustissimam Domum Austriacam, & Serenissimam Archiducalem Saxonicam, Hymenæus Nexus, quo Sanctius, quo Dignius, quo denique Optabilius Connubium Orbis desiderare nequit, Tuâ, Magne Legate, stetit Activitate. Non aliter ac dum Parelia in uno Cælo duos exponunt Soles, eodem radiô, ceu unitîs Splendoribûs Serenissimos. TUUM est Negotium, Par istud Augustissimum, quo exultat S. Mater Ecclesia; quod mille Solatiîs Progenitorem replet Serenissimum, & mille gaudiîs in Christianitatem exundat nniversam. Nemo proinde mirabitur, sub Auspiciis tot Fæderum & unionum Authoris, etiam præsentem Paginam, qua concordia duntaxat, & Animorum cum Ecclesia conjunctio promovetur, Lucem publicam aspicere. Scio, quàm altè Cordi TUO inhæreat illud Pauli monitum: *Si qua consolatio*

in

in Christo, si qua societas Spiritûs, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes. ad Philip. 2. v. 1. 2.

Nec indignare, COMITUM BENIGNISSIME, Opusculum adeo parvum, Maximô Nomine Tuo, cui tot jam prægrandes dedicati sunt Tomi, adornari. Existimabam enim, nullam Magnitudinem Lucubrationi meæ magis congruere, quàm à TE derivatam. Duplex occurrebat ampliandi Operis modus: nimirum, vel per longas discursuum ambages: qua arte, facili negotio hasce paginas in grande volumen propagâssem; vel in prima statim Libri facie, tantum exarare Nomen (nimirum FLEMMINGIANUM) quanta est Europa universa. Alterum arripio perlibenter, ut hac industriâ, Liber, quantumvis in se exiguus, FLEMMINGORUM tamen pedisequus, exspatiari valeat In immensum. Permitte MAGNE GENERALIS CAMPI MARESCHALCE, ut, ceu Iliadem in nucleum, aut Incendium in scintillam, aut Oceanum in guttam, Illustrissimam & Amplissimam

mam Domûs TUÆ Genealogiam, (quod etiam cum Theologia controversa feci) in breve Compendium redigam. Unde FLEMMINGORUM Magnitudo, tanquam ex ungue Leo, ex pollice Gigas, ex clava Hercules, ab omni Natione colligi, &, quod inde sequitur, etiam Opus meum sub tanto Frontispicio Augustiùs valeat relucere.

Nobilissimum hoc COMITUM GENUS, prima olim Incunabula in Flamminiis, optimè de Romano Imperio meritis, Sagô Togâque conspicuis, Romæ posuerat. Non solùm id testantur fide digni Scriptores, verùm etiam communi per Europam Famâ adeo comprobatur, ut in acceptione Prudentum, Flemming & Flamminius pro eodem reputetur. Et ideo, cùm EXCELLENTISSIMUS COMES NOSTER, tẽpore Electionis Regiæ, illo die Varsaviæ Hospes comparuisset, quo incendium aliquod casuale eruperat, etiam ab Illustrissimo protunc Castellano Culmensi, nunc Regni Thesaurario, simili compellatione, *Flamminius nonnisi inter flammas venit*, salutatus est. Temporibûs fortissimi illius, Gloriæque messe celeberrimi

rimi Romani Agricolæ, quidam è Flamminiis in Britanniam translati sunt, ut etiam huic Terræ sementem Laurearum insererent. Ubi successu temporis, jam Flemmingii nuncupati, adeo excreverunt per Angliam, Scotiam & Hiberniam, ut primas Dignitatum Sedes & Parlamenti Subsellia repleverint: & ad hunc usque diem, inter alia complura (quæ, ne memoriam fatigem, prætereo) Territorium *Wigton* dictum manuteneant.

Annus Imperii Caroli Magni volvebatur 4tus, cùm in Flandria illuxissent FLEMMINGII, & Provinciæ Nomen suum donâssent: ubi ad Sæculum usque 17mum, præter alias Ditiones, Arcem *Winighen* prope Antverpiam sitam, possessionati Heredes incolebant. Postquam verò Marchio Brandeburgicus Albertus Ursus, Vandalos è Ditionibus suis proscripsisset, Flemmingios ex Flandria circa medium Sæculi 12mi invitaverat: quibus & Territorium Illud ad Elbam diffusum, quod Magdeburgo adjacet, *Flemming* à novis Possessoribus nuncupatum, donatum est. Verùm Amplissima Domus hisce limitibûs concludi

cludi non poterat; jam Turingia, jam Nigromontana, jam Pomerania Incolas habuit Flemmingios, pari ubique solatio impetratos ad Honores, & Fascibûs salutatos. Pomeraniam tamen illustrârunt specialiter, ubi primam Nobilium Mareschalci Dignitatem, hereditario Jure in Posteros suos derivandam, adepti sunt. Quasi Meritorum illud antiquissimæ Domûs Senium, tanto fulciri debuerit Scipione. Nec Splendorem hunc corrupit antiquitatis rubigo, non edax rerum absumpsit tempus; verùm continuô per tot Sæcula tractu, enituit in Flemmingiis, etiam hodie in *Illustrissimo Generali Campi, simulque Pomeranæ Nobilitatis Mareschalco*: ceu immortalis Arbor vitæ in illo esset Scipione, qui nunquam de hac excessit Domo.

Primus præfatæ Dignitatis Possessor fuerat THAM FLEMMING circa An: 1295. Proavus hic duos procreaverat Filios, Curd & Erdmann nominatos, quorum unus BöCKENSEM Genealogiam fundaverat, alter MARTENTINAM, ex quo Fonte per directam lineam promanant, qui nunc Poloniam, Saxoniam, Pomeraniam, Grandes Purpurei

maris Alvei, inundant FLEMMINGII. Habetur tota Consanguinitatis Arbor, cum universa, sine interruptione, Majorum serie, & exactissima omnium Nominum, Dignitatum, Functionum, Possessionum, Successionum, Annorum descriptione, non solùm in tot Historicis delineata; verùm etiam Castro Wschovensi, æque fideliter ac laudabiliter inserta. Tot ibi reperies Viros, Pietate & Sapientiâ conspicuos, Fortitudine insignes, armorum Gloriâ Illustres, publicis Functionibùs & Dignitatibùs celeberrimos; ut videatur Cælum, Illustrissimæ huic Prosapiæ, Donum Sapientiæ, Fortitudinis militaris, Consilii in præcipuis Regum & Principum Negotiis, recti Judicii in Provinciarum Gubernationibus, ceu quandam attribuisse Proprietatem.

Amplissimè quoque Flemmingiorum Familia, è Pomerania in Poloniam se extenderat, ut superiùs innuimus: ac præterea circa finem sæculi 14ti in Sveciam, quò Claus de Flemming Ducem Ericum comitatus, ipse Dux tanti Nominis in hæc Regna: ibique in tot Nobilissimos Equites, Regum intimos Consiliarios, Provinciarum Administratores,

Judi-

Judices, & Gubernatores, brevì efflo-
ruit. Cùm Ericus An: 1561. in Coro-
natione ſua primitùs Dignitatem Co-
mitum ac Baronum ibidem introduce-
ret, etiam Flemmingii, in Svecia Barones
procreati: ceu nollet coronari aliter,
niſi haſce Gem̃as in Coronam ſuam ad-
ſciviſſet. Et quidem certârunt in illo
Gloriæ Theatro & Viriute & numerô:
Ivar Flemming, Regni Conſiliarius, &
Supremus Claſſis Sveticæ Præfectus.
Laurentius Flemming, Supremus Gu-
bernator Livoniæ, vixit An. 1561. Claus
Flem̃ing Claſsis Præfectus, & Supremus
Judex in Finlandia. Claudius Flem̃ing,
Gubernator Finlandiæ. Nicolaus Flem-
ming, Generaliſſimus Exercitûs. Hen-
ricus Flemming An: 1644. Mareſchalcus
Finlandiæ. Claus Flemming Cameræ
Regiæ Præſidens, An: 1685. cujus Filius
à Carolo 11mo, Comes factus. &c. &c.
Habuit Flemmingios etiam Norvegia
Hoſpites, & fecit Heredes, quibus Di-
tionem Naſſau obtulit poſſidendam. Sa-
lutavit Eos Territorium Lauenburgen-
ſe, circa medium ſæculi 12mi, & habet
Inquilinos.

Singulare eſt, quod hìc adverto, nimi-

rum videri Regna per Europam, unanimî consensu, æquali voto, indiviso spiritu, quodammodo conspirâsse, ut non aliter haberent Flemmingios, nisi semper MARESCHALCOS. In Pomerania enim perpetui sunt Nobilitatis Mareschalci. In Anglia, in Svecia, partim Provinciarum, partim Copiarum Militarium innumeri fuerant Mareschalci. Heino Henricus apud Archiduces Saxoniæ & Brandeburgicum: Pater Illustrissimæ Consortis, Comitis de Flemming, Generalis Majoris, apud Cæsarem, Generalem egerat Campi Mareschalcum. Etiam TU COMES ILLUSTRISSIME, eadem, apud Potentissimum Poloniarum Regem, Saxoniæque Archiducem, insignitus es Dignitate.

Verùm, ne ultra Operis margines in immensum excurram, illam duntaxat, quæ propior TE attingit, Consanguinitatis Lineam, in brevem hanc tabulam induco: & quidem tenui penicillo, novi enim, etiam olim in Apelle, artem hanc laudatam fuisse. JACOBUS FLEMMING Mareschalcus Pomeraniæ, *Avus Tuus* fuerat. Duos ille in lucem ediderat Filios: 1. GEORGIUM GASPAREM

REM natum An: 1630. qui, ut lucem Orbis posthac maturiori conspexit oculô, Scientiarum laude Celeberrimus, ab Archiduce Brandeburgico in Consilii intima admissus, Directorium, in Rebus Statum & Justitiam concernentibus, nec non Consistorialibus, tenuit: ut tantis assuetus Functionibus, parem Filium genuisset. Genuit autem ex Honoratissima Conjuge *de Ostenins*, 1. JOACHIMUM FRIDERICUM, Serenissimi Poloniarum Regis nunc feliciter imperantis, Generalem: qui Heroi Animo, Scientiarum Gloriæ, Linguarum præsertim Idiomatis Latini insigni peritiæ, tantam adjunxit Bonitatem, mansuetudinem, affabilitatem, ut (unà cum Illustrissima de Watzdorffen Vitæ suæ Socia) omnium Corda possidere mereatur. 2. JACOBUM HENRICUM, Generalem Campi Mareschalcum, cujus Honoris Arbori præsens folium dum appendo, totam Consanguinitatis Arborem cultu prosequor indiviso. 3. Bogislaum Bodonem Generalem Lieutenant, qui venustissimæ, Generalis de Wrechen Filiæ, Matrimoniali vinculo junctus, Familiam & Prole, & præclaris Facinoribûs

multiplicat, ac veluti Stellîs exornat. De his tribus FILIIS in lucem publicam editis, lætus sibi applaudere poterat GENITOR, quòd non sine grandi Fortunæ mysterio, Fama sua ad Triarios devenerit. Votum ego appono, ut quos DEus ter Optimus Maximus tam liberaliter Orbi contulerat, iisdem diutissimè frui, largiatur.

Alter autem præfati JACOBI Filius erat HEINO HENRICUS, quem inter primos Heroas Europa numeraverat: cujus Manibus, armorum felicitatem Mars; erudito Vertici, Historiarum & Matheseos notitiam Pallas inseruerat. Variæ illum unà cum Fratre suo erudierunt Academiæ, quòd vastitate Ingenii, breví in singulis Eruditionem exhauriret. Post prætextam ubi Galeam induit, toties processit Victor quoties pugnavit, felicissimus apud Saxones & Brandeburgos Generalis Campi Mareschalcus. Adversus Othomanum oppugnantem Viennam, primus montem Kallenberg nuncupatum cum 6000. suorum conscenderat, & Hostem multò numerosiorem, faustissimô ulterioris Victoriæ auspiciô, deturbavit. In Bello Gallico

Gallico Urbes octo adoraverunt Triumphatorem, quas à Gallis liberaverat. Post tot præclara Facinora, unà cum Fratre suo Georgio Gaspare, intimo Prussiæ Consiliario & Supremo Judiciorum Aulæ Præsidente, Comitum Dignitate, in omnes ab utroque descendentes perpetuò derivanda, ab Imperatore insignitus est. Tandem apud Archiducem Brandeburgicum, Berolini, Ducatûs Pomeraniæ atqne Principatûs Camin Gubernator, reliquos per Fasces distinxit annos.

Successores tot Dignitatum, ex Dorothea Elisabetha, Generalis Majoris de Phulen Filia, numeravt 4tuor: è quibus, si unum, optimè mihi notum, Excellentissimum videlicet JOANNEM GEORGIUM COMITEM de FLEMMING, Ordinis S. Joannis Equitem, Copiarum Serenissimi Poloniæ Regis & Reip: Generalem Majorem, saltem per transennam (ut brevitati Operis indulgeam) nominavero, abunde me Tanti Patris solatiá descripsisse, existimabo. Lustravit Ille Europam ferè universam, omnesque præcipuas invisit Aulas: unde tantum Eruditionis secum retulit, quan-

quantum illæ præſeferre poterant. Tot rerum notitiæ illam aſſociavit Modeſtiam, in agendo candorem, in loquendo affabilitatem (propria atteſtante experientiâ ſcribo) quæ omnium, cum quibus converſatus, etiam Polonorum Procerum Animis inhæret gratiſſimè. Acceſſit Magno Nomini grande Decus ex Illuſtriſſima Conjuge ſua (quæ pulcherrima Prole Domum amplificat) Catharina Sigris de Bielken: ex qua Inſigni Familia duæ Reginæ Sveciæ Sanguinem coronârunt. Ejus Genitor, Pomeraniæ fuerat Gubernator, & apud Cæſarem Generalis Campi Mareſchalcus, qui An: 1686. Supremum Exercitûs Bavarici Regimen gloriosè manutenuerat. Etiam Sorores prædicti Excellentiſſimi Generalis Majoris, FLEMMINGIANI Nominis Splendorem dilatant ampliſſimè: Una in Illuſtriſſimo Regni noſtri Theſaurario; altera, jam jam Conjugali Annulo inſerenda, rutilabit brevì in Excellentiſſimo de Schack Generali Stationum Magiſtro. Cui Nobiliſſimo Pari etiam mea ſubmitto vota:

Fœdere quas pulchro, junxit Par Nobile dextras,
Non vacuas, Superûm ſervet ab inde favor.

Vin-

Vincula quæ stringunt, non ulla pericula solvant,
Fortunam potiùs, milleque dona ligent.

Et hæc de Amplissima ac Splendidissima Flemmingiorum Prosapia, vel ideo præmittere statui, ut omnes compertum habeant, tenui atque obscuro Operi meo abundè consultum esse, quòd Tantum Nomen in fronte præfixerim, unde & Lucem participare valeat, & amplitudinem.

Quoniam igitur Dedicatio præsens tantis nititur Argumentis, liberum passum, apud TE, MAGNE CAMPI MARESCHALCE, impetraturam, non ambigo. Scio quidem *Excellentissimum Dominum meum*, innumeris distractum esse Negotiis, quæ Vultum & Aurem à supplici hoc libello conabuntur avertere. Quidquid enim Aula Regia cum mole sua, quidquid universorum Curæ, & singulorum indigentiæ habent Maximum, TUIS incumbit Humeris: adeo, ut extra controversiam sit, TE idem esse apud Serenissimum Regem nostrum, quod Magnus ille *Eugenius* apud Imperatorem Augustissimum. Nihilominus perspectum quoq; habeo, tantæ vastitatis esse Animum TUUM, qui

 media

media inter Negotia publica, etiam Personis privatis, dum Charitas, dum Religio, dum DEUS ipſe ſvadet, facilè ſeſe diſpenſare; & innumeris licèt abſtractus cogitationibus, per motum tamen quendam Spiritualem (quod etiam Cæleſtibus Geniis proprium eſt) ſvaviſſimè excitari valeat. Dignare itaque propenſionem meam in TUA obſequia admittere, & Librum hunc manutenere, benigno Vultu perluſtrare, ac tandem etiam placido Pectori inſinuare. Ego verò DEUM, cujus Gloriam promovere annitor, impensè obſecrabo, ut omnia, quæ ſcit & Saluti & Honori TUO congruere, munificentiſſimè largiatur.

JLLUSTRISSIMÆ, & EXCELLENTISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Addictiſſimus Servus

G. H. S. J.

APPROBATIO
Loci Ordinarii.

LIbrum, cui Titulus, *Theologia Controversa, totam Fidei Christianæ Catholicæ Doctrinam succinctè & dilucidè complectens*, ab Admodum R. P. Godefrido Hannenberg Societatis JEsu Professore Theologiæ conscriptum, quoniam Fidei Orthodoxæ & bonis Moribus minimè adversatur, sed potiùs salutarem de modernis Fidei Controversiis Doctrinam, breviter clarè ac solidè enucleatam in se continet, ut typô excudatur, jurisq; publici fiat, ad Spirituale Fidelium emolumentum, dignum censeo. In quorum fidem, manum meam appono. Datum Posnaniæ ad Ecclesiam Cathedralem *11.* Janu: *1723.*

CAROLUS ŁODZIA PONINSKI
Ecclesiarum Cathedralis Posnaniensis & Parochialis Wschovensis Præpositus, & Administrator Generalis Episcopatûs Posnaniensis. mp.

Facultas R. P. Provincialis
STEPHANUS SCZANIECKI
Præpositus Provincialis Societatis JESU per Poloniam

CUm Opus quod inscribitur: *Theologia Controversa &c.* aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab A. R. P. Nostro Michaële Angelo Tamburino, Societatis nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem has literas manu mea firmatas & sigillô munitas dedi. Ravæ 12. Octobris 1722.

STEPHANUS SCZANIECKI S. J.

Ad Lectorem

ADvertes hic, Lector Benevole, Quæsita & Responsa, stylô perquàm humili & succinctô, absq; omni phrasium Pompa, exarata. Non tamen ideo, Difficultates perfunctoriè duntaxat, aut levi brachio attactas esse arbitrare. Sed expende quæ legis, paulò studiosiùs, & revera totam Controversiarum Fidei substantiam explanatam, cunctosq; perplexitatum nodos, abundè solutos esse fateberis. Volebam autem hac scribendi methodo, genuinam Theologiæ Controversæ faciem, remotô splendidæ sermocinationis involucrô, & detersîs prolixiorum discursuum nubibûs, palam omnibus manifestare. Siquid verò adversus præsens Opusculum, cuipiam in mentem venerit, quod Typis mandandum existimaret; id æq; dilucidè, æquè succinctè, & quidem sigillatim per puncta, non punctim, instituatur. Aliàs enim Rescriptum hoc, & cum indignatione evolvi, & cum exultatione refutari merebitur.

CA-

Controversiæ quæ nostrîs seculîs in Religione Christiana exortæ, ad 5. potissimùm, (prout & ipsa Doctrina Christiana Catholica) Capita revocantur. 1. agitur de Fide. 2. de Spe. 3. de Charitate & 10. Præceptis. 4. de Sacramentis. 5. de Officiis Christianæ Justitiæ.

CAPUT PRIMUM.

De Fide Christiana.

§. 1.

Quæritur. Quid sit Fides Christiana?

Respondetur. Est donum DEI, quo homo illustratus, firmiter assentitur omnibus, quæ DEus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit.

Q. *Revelatnè DEus per se im̃ediatè cuicunque homini Christiano, quæ ab omnibus credenda sunt*

 R. Non

R. Non: sed illis tantùm, quibus aut commiserat scribere Verbum suum; aut regendum tradidit in Spiritualibus Gregem suum, nimirum Apostolis, eorumque legitimis successoribus, seu Ecclesiæ: aliis autem proponit DEus credenda, per Ecclesiam.

Q. *Quod hujus ipsius fundamentum?*

R. 1. ex Scriptura S. ubi hac in parte Apostolis duntaxat & Rectoribus Ecclesiæ, Spiritus S. appromittitur: *Vobis datum est nôsse Mysteria Regni DEI, cæteris autem in parabolis.* Luc. 8. v. 10. Et: *Attendite vobis & universo Gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI.* Act 20. v. 28. Et: *Dabit vobis Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit.* Joan. 14. v. 17.

2. Experientiâ: ideo enim tot, tamque Diffidentes in rebus Fidei dantur opiniones, quòd homines reperiantur hujusmodi, qui ita credere, sacrasque Literas intelligere præsumunt, sicut spiritui suo privato videtur.

Q. *Potestne Ecclesia Christi, dum aliquid proponit credendum, errare?*

R. Hoc æquè impossibile, ac impossibile est, Christum in promissis suis falli aut fallere.

Q. *Quare?*

R. Promiserat enim Joan. 14. v. 16. *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut ma-*

maneat vobiscum in æternum: Spiritum veritatis - ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia &c. Et Mat. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam.* Ideoque S. Paulus Ecclesiam DEI appellat *columnam & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3. v. 15.

Porro si Ecclesia Christi erraret, eo ipso non haberet assistentiam Spiritûs S.; prævalerent adversus eam Portæ Inferi; non esset supra firmam petram, sed arenam ædificata, nec columna & firmamentum veritatis, sed schola falsitatis.

Q. *Quid per Ecclesiam, quæ nomine DEI, infallibiliter nobis proponit, quæ credenda sunt, intelligitur?*

R. Caput & præcipua ejus Membra, videlicet Romanus Pontifex & Concilium Generale Episcoporum, ut inferiùs demonstrabimus.

Q. *Quis sensus hac de re SS. Patrum?*

R. S. Augustinus Epist. 162. Concilium Generale legitimè congregatum vocat, *ultimum Ecclesiæ judicium, cui qui non assentitur, errat in Fide.* Cyrillus l. de Trinit. *Divinum ac Sanctissimum Oraculum*, appellat. Ambrosius Epist. 32. inquit: *Sequor Tractatum Nicæni Concilii, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare.* Porro Concilium hoc Can: 3. docet: *Nihil definire inconsulto Romano Pontifice permissum est.*

Q. *Utique etiam illi qui duobûs & ampliùs seculis ab Ecclesia Romana dissentiunt, cœtus cogere, eosque Ecclesiam appellare consveverunt?*

R. Cœtus hujusmodi non esse Ecclesiam illam, cui Christus infallibilem Spiritûs S. assistentiam appromiserat; quamque Mat: 18. audiendam esse præceperat.

Q. *Quare?*

R. Cùm enim Christus promiserit, Ecclesiam suam continuò à Temporibus Apostolorum usque ad consummationem sæculi, à Spiritu S. dirigendam; cùm voluerit, continuò esse audiendam; cùm statuerit, continuò conservandam, & ne quidem à Portis Inferi debellandam Mat: 16. manifestum est, nomine Ecclesiæ Christi non posse alium Cœtum intelligi, præterquam illum, qui à temporibus Apostolorum, continua Episcoporum successione, hucusque sine interruptione perseverat. Qualem solam Romanam Ecclesiam esse, suo locô fusiùs declarabimus.

§. 2.

Q. *Quæ credenda sunt Fide Christiana?*

R. 1. *Accedentem ad DEum, oportet primùm credere quia est, & quòd inquirentibus se Remunerator sit.* Hebræ: 11. v. 6.

2. DEum esse unum in Natura, trinum in Personis, nimirum Patrem, Filium, & Spiritum

tum S. tres coæternas coæquales Personas, unum DEum.

3. Secundam Personam SSmæ Trinitatis nimirum Filium DEI assumpsisse naturam humanam, adeoque Christum JESUM Redemptorem nostrum, DEum simul & hominem esse. Et horum Fides post sufficientem Evangelii promulgationem, ita necessariò (insistendo communiori sensui) ad salutem requiritur, ut neminem ignorantia excusare valeat.

Q. *Quot dantur naturæ in Christo?*

R. Duæ, Divina scilicet & humana, Christus enim verus est DEus, & simul verus est homo.

Q. *Quot Personæ in Christo?*

R. Una solùm nimirum Divina.

Q. *Quid inde colligitur?*

R. Colligitur 1. Opera Christi fuisse infiniti valoris, quò enim dignior Persona bene operatur, eò plus valet meritum: Porro Christi Persona, utpote Divina, est infinitè digna.

2. Rectè dici, DEum pro nobis natum, crucifixum, mortuum fuisse.

Q. *Ipsanè Natura Divina Christi nata aut passa est?*

R. Non: sed Christus qui est DEus, natus & passus est quoad naturam humanam.

Q. *Ideonè Natura humana Christi ita est ubique sicut DEus, quoniam unita est DEO?*

R. Non; sicut exempli causâ, quamvis

caput hominis unitum sit Animæ, quæ etiam in pede reperitur, non tamen ideo caput est in pede. Deinde lumine rectæ rationis ipsiusque Fidei notum est, naturam humanam Christi secundùm se non esse Ens increatum, æternum, purè spirituale per hoc, quòd unita sit DEO increato æterno purè spirituali. Ergo neque ideo erit ubique.

Q. *Quæ præterea credenda & scienda sunt homini Christiano?*

R. Quivis necessitate Præcepti tenetur credere & scire saltem quoad substantiam: 1. Symbolum Apostolorum. 2. Orationem Dominicam. 3. Præcepta Decalogi & Ecclesiæ. 4. Sacramenta maximè necessaria, ut Baptismum, Eucharistiam, Pænitentiam: reliqua verò tunc dum intendit ea suscipere.

Q. *Quid habet Symbolum Apostolorum?*

R. Credo in DEum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cæli & terræ. Et in JESUM Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu S. natus ex MARIA Virgine; passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus: descendit ad Inferos, tertia die resurrexit à mortuis: ascendit ad Cælos, sedet ád dexteram DEI Patris Omnipotentis: inde

ven-

venturus est judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum. Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. carnis resurrectionem, & vitam æternam. Amen.

Q. *Quid præter Symbolum Apostolorum credendum?*

R. Totum, quidquid sive in Scriptura S. juxta Catholicam Ecclesiæ interpretationem reperitur, sive per Ecclesiam credendum proponitur.

Q. *Quare omnia quæ in Scriptura S. reperiuntur juxta verum & Catholicum sensum credenda sunt?*

R. Hæc enim *ideo scripta sunt ut credatis*, inquit S. Joannes c. 20. v. 31. Et certè DEus fide dignus est; non solùm in aliquibus, sed & in omnibus, quæ revelat.

Q. *Quare credendum quidquid Ecclesia proponit?*

R. Ideo 1. quoniam in hunc finem decreverat Christus Joan: 14. relinquere Spiritum S., Spiritum Veritatis Ecclesiæ Rectoribus, qui illis continuò usque ad consummationem sæculi, suggerat omnia.

2. Quia severè præcepit audire Ecclesiam Mat. 18. v. 17. *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*

 Q. *Utr*

Q. *Utique nonnulli è modernorum Dissidentium numero docent, sufficere ad salutem, modò Symbolum Apostolorum credamus?*

R. Sed hi graviter, ut ex immediatè dictis colligitur, errant. Certè si id sufficeret, omnes Sectæ, etiam in primitiva Ecclesia anathematizatæ, salutem consequi potuissent, cùm Symbolum Apostolorum admiserint.

Q. *Saltemnè homines hujusmodi, qui talia docent, id totum re vera credunt, quidquid in Symbolo reperitur?*

R. Non.

Q. *Quare?*

R. Quia id non credunt juxta antiquum & uniformem adeoque verùm Ecclesiæ Catholicæ sensum, sed juxta interpretationem recenter à se fabricatam.

Q. *Declaretur id ipsum?*

R. 1. Si enim verè crederent *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, eique juxta Christi mandatum obtemperarent, omnibus utique reliquis, quæ Ecclesia credenda proponit, facilè assentirentur.

2. Si crederent *Sanctorum Communionem*, cultum & invocationem Sanctorum non respuerent.

3. Si crederent *Remissionem peccatorum*, juxta antiquum Ecclesiæ sensum, admitterent utique omnia ad veram Pænitentiam, Justificationem;

tionem, & vitam æternam consequendam, requisita.

§. 3.

Q. *Unicanè Fides Christiana, an verò multiplex?*

R. Fides vera unica tantùm est, ut expressè docet S. Paulus: *Una Fides, unum Baptisma, unus DEus.* Eph: 4. v. 5.

Q. *Nunquid inter Christianos non reperiuntur hujusmodi, qui diversam Fidem & Religionem profitentur?*

R. Reperiuntur, verumtamen non omnes hi Fidem veram profitentur.

Q. *Igitur non poterit quivis baptizatus in sua Fide salvari?*

R. Non potest: & quidem ideo, 1. cùm enim homines isti in multis Fidei Articulis inter se discrepent, sequitur hos vel illos circa multas à DEO revelatas veritates errare, Deoque revelanti non credere. Porro, *qui vel in uno delinquit, factus est omnium reus*, inquit S. Jacobus c. 2. v. 10. Nec veram Fidem ille censendus est habere, qui vel in aliquibus DEO credere reluctatur.

2. Quoniam contraria, sibique contradicentia profitentur Dogmata; porro utraque contradictionis pars, sicut Spiritui S. tribui, ita cum Fide vera atque salvifica componi nequit.

Q. *Nonnè satis esset ad salutem consequendam,*

convenire cum Ecclesia Catholica in Articulis substantialibus, quamvis non in accidentalibus?

R. Non: nulli enim in Fide Christiana dantur Articuli hoc sensu accidentales, quasi verò liceat eos credere vel non: cùm in nulla materia sive magna sive parva possit DEO dicenti, absque gravissima injuria ejus, negari fides; & quidquid DEus dicat, sit æquè verum, utpote eidem Authoritati & infallibili Testimonio innixum.

Q. *Quid reponendum iis Dissidentibus, qui asserunt, se in Articulis Fidei circa Res majoris momenti convenire cum Ecclesia Catholica, & discrepare solùm in minutioribus; hocque abundè ad veram Fidei unitatem & salutem sufficere?*

R. 1. Ergonè Ecclesiæ Christi, & consequenter ipsius DEI Testimonium non æque fide dignum in rebus minutioribus, ac grandioribus?

2. Hæcnè parvi momenti? discrepare à Catholicis circa Sanctissimam Eucharistiam & reliqua Sacramenta; circa veram Christi Ecclesiam & Sanctorum Communionem; (quæ etiam in Symbolo Apostolorum reperiuntur) circa Scripturam Sacram & Libros Canonicos; circa Fidem, bona Opera & Mandatorum observationem; circa Authoritatem, Jurisdictionem, totumque Ecclesiæ Ordinem &c. &c.?

Q. *Quid, si hæc & similia ideo dicerentur exigua, nec talia, quorum Fides ad salutem necessaria sit,*

sit, quoniam de iis apud Dissidentes controvertitur, nec Catholici satis clara afferunt Scripturæ S. Testimonia?

R. 1. Etiam de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis à quibusdam Adversariis moventur controversiæ: igiturnè horum quoque Fides ad salutem non requirenda?

2. Evidens est, Scripturæ Testimonia quibus Veritas Catholica in materiis controversis comprobari solet, (ut inferiùs videbimus) multò clariora esse etiam iis, quibus Mysterium Sanctissimæ Trinitatis defenditur.

3. Si grave nefas est, Testimonio DEI non assentiri, aut de eo perperam controversari, dum dicit se esse Trinum & unum, quomodo non nefas, ita procedere cum eodem Testimonio in aliis materiis?

Q. *Quid hac de re S. Augustinus contra Faustum l. 13. c. 3.?*

R. *Qui in Evangelio quod vultis, creditis, quod vultis, non creditis, vobis potiùs quàm Evangelio creditis.*

Q. *Quid Athanasius in Symbolo?*

R. *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.*

Q. *Ubi igitur hæc unica vera Fides?*

R. Apud solos Romano-Catholicos.

Q. *Quare?*

R. Hi

R. Hi enim soli omnia firmiter credunt, quæ DEus credenda revelavit sive per Scripturam, sive per os Prophetarum & Apostolorum, eorumque Successorum, id est Ecclesiæ: ut mox sigillatim declarabitur.

Q. *Habeturnè aliquid de hac Romano-Catholica Fide in Scriptura?*

R. Habetur in Epist: ad Romanos c. 1. v. 8. *Gratias ago DEO pro omnibus vobis* (inquit S. Paulus) *quia Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* En Fides Romana annuntiata est in universo mundo, seu est universalis, Catholica

Q. *Cujus Fidei fuerat S. Paulus?*

R. Romanæ Catholicæ Fidei: sic enim Romanos c. 1. v. 12. alloquitur: *Desidero simul consolari in vobis per eam, quæ invicem est, Fidem vestram atque meam.* En Paulus fuerat Romano-Catholicus?

Q. *Cur Doctrina Lutheri aut Calvini non continet veram Fidem?*

R. Quia non proponit suis hæc & omnia illa credenda, quæ DEus revelavit, & per Ecclesiam credenda proposuit; verùm solummodo talia, quæ olim quorundam privato judicio & arbitrio visa sunt magis arridere: ut toties sigillatim indigitabimus.

Q. *Utique Dissidentium Pastores protestantur se docere & credere quidquid habetur in Scriptura?*

R. Sic protestari consueverunt omnes illi qui etiam oppositissima sibi Dogmata tradunt:

igitur

igitur credendum? Verbô, id quidem dicunt sed non faciunt.

Q. *Quare?*

R. Alios enim S. Scripturæ Libros rejiciunt, alios acceptant pro placito suo: eosque quomodo volunt, non secundùm antiquum Ecclesiæ (cui in ordine ad id appromissa Spiritûs S. assistentia) sensum, sed Spiritum suum privatum, interpretantur. Hocnè est juxta Scripturam docere?

Q. *Quid inde colligitur?*

R. Hujusmodi Pastores, re vera non secundùm Scripturam, sed potius privatam recenterque à se inventam Scripturæ explicationem, credere atque docere. Deinde etiam alia credenda esse, quamvis clarè & expressè non videantur in Scriptura, mox demonstrabo.

Q. *Quomodo concludit hac in materia jam citatus Augustinus?*

R. *Qui in Evangelio, quod vultis, creditis, quod vultis, non creditis, vobis potiùs quam Evangelio creditis.*

§. 4.

Q. *Quod motivum credendi habet Fides Christiana?*

R. Verbum DEI infallibiter nobis propositum & explanatum: ideo enim hoc vel illud credimus, quia DEus id dixit seu revelavit, qui sicut nequit falli ita nec fallere potest.

Q. *Quid*

Q. *Quid inde inferimus ?*

R. Inferimus, Fidem Christianam debere esse firmissimam, ita ut paratus sis, potiùs vitam & sanguinem fundere, quàm vel de minimo Articulo dubitare.

Q. *Ubi reperitur talis firma Fides ?*

R. Apud solos Romano-Catholicos: hi enim soli nituntur Verbo Divinô, infallibiliter proposito & explanato.

Q. *Quare ?*

R. Nituntur enim Verbô DEI ut propositô & explicato per veram & antiquissimam Christi Ecclesiam, cui, ne errare possit, data est Spiritûs S. assistentia: ut constat ex dictis §. 1.

Q. *Possuntnè hujusmodi firmam habere Fidem, qui extra Ecclesiam Catholicam versantur ?*

R. Nullatenus possunt, sed modò se reflectant seriò, formidare coguntur: quia non nituntur Verbô DEI ut infallibiliter proposito & explicato.

Q. *Quare ?*

R. Ultimatum enim Fidei suæ Resolutorium, ob quod credunt, est privatum suum, suorumque Pastorum, hos vel illos Libros veluti canonicos acceptantium, eosque sic vel ita interpretantium, fallibile judicium.

Q. *Enucleetur id ipsum ?*

R. Dum enim ex quopiam quæritur, quarenam hoc vel illud adversus Ecclesiam Catholicam profiteatur? ab initio quidem respondet,

det, ideo, quoniam mihi favet Scriptura, sive interim quoad Græcum Textum aut Hebraicum, sive Latinum aut Germanicum considerata.

Si tamen ulteriùs quæratur, unde compertum habeat, hunc vel illum (de quo controvertitur) Scripturæ locum sic intelligendum esse; aut hanc vel illam suorum, in Linguam Germanicam, versionem, communi Ecclesiæ Catholicæ sensui refragantem, esse re vera legitimam? tandem post multas ambages cogetur ultimò fateri: quoniam ita mihi videtur, ita volunt nostri Pastores.

DEum Bonum! nunquid experientiâ non constat, judicium tuum in rebus etiam longè facilioribus, falli? Multos reperiri Prædicantes, apud quos, tot ferè diversissimi sensus, tot contradicentes sibi Scripturæ versiones atque interpretationes, quot Capita? Ergonè securâ conscientiâ, tali judicio, in æternæ salutis negotio (quo majus mundus non habet) niti poteris?

Q. *Quid colligitur inde?*

R. Illum, qui judicium suum universali Ecclesiæ Catholicæ submittere renuit, tandem debere pro ultima Fidei & Salutis suæ Regula, eorum Ministrorum (qui nunquam inter se convenire valent) arbitrium admittere.

§. 5.

§. 5.

De Verbo DEI propter quod credimus.

Q. *Quotuplex Verbum DEI?*

R. Duplex: aliud ſcriptum, aliud non ſcriptum, ſed ore Apoſtolorum, ſuorumque Succeſſorum nobis propoſitum.

Q. *Quid eſt Traditio propriè talis?*

R. Eſt Verbum DEI, quod DEus locutus eſt per os Apoſtolorum: ſeu illa Doctrina, quam Apoſtoli, non quidem calamô clarè & expreſsè, ſed ore nobis communicârunt, quæ conſtanter in Eccleſia ad noſtra uſque tempora tradebatur & traditur.

Q. *Danturnè defacto tales Traditiones?*

R. Omnino dantur, ut conſtabit ex dicendis: deinde expreſsè teſtatur S. Joannes c. 21. v. 24. *Multa alia eſſe, quæ non ſunt ſcripta*

Q. *Obligamurnè credere non ſolùm illa quæ expreſsè habentur in Scriptura, ſed etiam quæ per Traditionem Apoſtolorum?*

R. Obligamur: quia Apoſtoli non minùs veritatem prædicârunt ore, quàm ſcripſerunt calamô: & DEus æquè fide dignus eſt in iis, quæ locutus eſt per os Apoſtolorum, ac etiam quæ per calamum eorum.

Q. *Sed fortè ſufficeret ad ſalutem, illa ſolùm credere, quæ expreſsè habentur in Scriptura?*

R. Nequaquam: Sanctus enim Paulus diſertè nomine DEI præcipit; *Itaq; Fratres ſtate &*

& tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram. 2. Thess. 2. v. 15.

Q. *Quæ sunt Traditiones quas credunt & observant Romano-Catholici?*

R. Exempli causâ, 1. Omnia quæ continentur in Scriptura S. esse re vera à Prophetis & Apostolis, atque cum assistentia Spiritûs S. conscripta.

2. Symbolum Apostolorum in 12. Articulos Fidei dispositum.

3. Præclarus ordo circa Communionem S. de quo S. Paulus 1. Cor. 11. v. 34. *Cætera autem cùm venero disponam.*

4. Pulcherrima circa Ordinationem Presbyterorum dispositio: de qua Paulus ad Titum c. 1. v. 5. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.*

5. Varia Apostolorum Decreta, Ordinationes, præcepta, circa Sacrificium Missæ, Ritus septem Sacramentorum, Jejunia, Dies Festos, & alia, de quibus legitur in primo Concilio Nicæno, habeturque in Actis Apostolorum c. 16. v. 14. de Paulo & Timotheo: *Cùm autem pertransirent Civitates, tradebant eis custodire Dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus.*

Q. *Estnè æquè nunc credendum Ecclesiæ, dum aliquid definit, ac tempore Apostolorum?*

R. Omnino: Ecclesiæ enim pro semper

Spiritûs S. assistentia appromissa est: *Dabit vobis Spiritum veritatis, ut maneat vobiscum in æternum*, inquit Dominus Joan: 14. v. 16. Certè æquè nunc assistentia hæc necessaria est, ac tempore Apostolorum, cùm etiam modò oves pascendæ, Fratres confirmandi, errores refutandi sint.

Q. *Quid respondendum iis, qui arbitrantur, etiam cujusvis privati scriptoris narrata, apud nos pro Traditione Ecclesiæ haberi?*

R. Nolle eos intelligere, quid re vera nomine Traditionum intelligatur, & ideo, *quæ ignorant, blasphemant*, Judæ v. 10.

Q. *Creduntnè ipsimet Dissidentes aliqua quæ non habentur in Scriptura S. sed solummodo ab Ecclesia Catholica tradita sunt?*

R. Credunt: e.c. 4. dari Evangelia, & 14. S. Pauli Epistolas, easque verum DEI Verbum esse: Infantes esse baptizandos: Diem Dominicum, non verò cum Judæis diem Sabbathi (licèt hic Decalogo inseratur) esse celebrandum &c. cùm tamen hac de re nihil expressum sit in Scriptura.

Q. *Cur igitur reliquas quoque Traditiones admittere reluctantur?*

R. Voluntas, sensusque proprius in causa est.

Q. *Sed Christus increpabat Judæos, quod Traditiones observarent. Mat: 7. v. 8.*

R. 1. Christum instituendo novam Ecclesiam,

ſiam, novas quoque inſtituiſſe Traditiones, ac proinde antiquas Judæorum abrogâſſe.

2. Increpabat Judæos, quòd propter Traditiones ſuas, Præcepta DEI transgrederentur: aſt Traditiones Apoſtolorum & Romanæ Catholicæ Eccleſiæ, nequaquam Præceptis DEI adverſantur.

Q. *Poſſentnè Articuli Catholici de quibus Oppoſiti controverſantur, per ipſam Scripturam S. defendi?*

R. Omnino poſſunt: innumeros enim Textus etiam clariſſimos citamus, ut inferiùs demonſtrabitur.

Traditiones nihilominus præterea admittendæ ſunt, 1. ideo, quoniam id ipſum etiam in Scriptura præcipitur, ut immediatè dictum.

2. Ut ubi difficilior eſt Scripturæ locus, explanetur per antiquiſſimam Eccleſiæ Traditionem: cui procul dubio etiam Diſſidentes ſecuriùs confidere poterint, quàm nuper exortis ſuorum Miniſtrorum Interpretationibus.

§. 6.

De Scriptura Sacra.

Q. *Quid eſt Scriptura Sacrá?*

R. Eſt Verbum DEI, quod Prophetæ & Apoſtoli in Scripto nobis reliquerunt.

Q. *Unde colligitur, quinam Libri ſint Scriptura Sacra?*

R. Ex Traditione & infallibili Ecclesiæ Christi definitione, sine qua nullam aliàs de vero DEI Verbo certitudinem haberemus.

Q. *Utique respondere quidam solent, Libros sacros seu Canonicos, ex ipsa textuum elegantia & energia agnosci?*

R. Responsionem hanc neminem posse convincere, patet vel ex inde: 1. quòd Dissidentium Ministri, tot sacros Libros rejecerint pro libitu, quamvis in iis omnino similis, ac in reliquis, elegantia & energia reperiatur.

2. Quoniam nec ipsi inter se convenire possunt, quinam Codices pro canonicis habendi.

Q. *In Exemplo?*

R. Ministri Lutherani, Argentorati Annò 1598. eliminârunt è Sacrorum Librorum Catalogo, Epistolam S. Pauli ad Hebræos, Epistolam S. Jacobi, Apocalypsim S. Joannis: post 74 verò annos, denuò reassumpserunt. Calvinus Epistolam S. Jacobi appellat auream, Lutherus stramineam, &c.

Q. *Quid inde colligimus?*

R. Neminem posse esse securum, hujusmodi Pastores, qui Ecclesiæ Judicium in rebus Fidei aspernantur, non deviare quoque in aliis materiis, cùm in puncto adeò grandi, nimirum circa ipsum DEI Verbum, tantopere à veritate deflectant.

Q. *Estnè clara Scriptura S.?*

R. Quamvis in multis locis satis diluci-

dè

dè proponat credenda, in plurimis tamen multùm difficilis & obſcura eſt, adeoque indiget explicatione.

Q. *Quare DEus non totam Scripturam voluerat clarè & evidenter exarari?*

R. 1. Statuerat enim rectum in ſua Eccleſia ordinem obſervandum eſſe, ac proinde ut Fideles in vero Scripturæ ſenſu indagando ad eos recurrerent, quibus Spiritum S. in ordine ad alios docendos & regendos, appromiſerat.

2. Quoniam præviderat hujusmodi fore homines, qui etiam clariſſimos Textus perversè interpretaturi eſſent, ſtatuit, multa potiùs obſcurè conſcribenda, ut vel exinde colligerent, neceſſariam ſibi eſſe, ad Rectores Eccleſiæ, quibus Spiritum S. ad erudiendum alios, conceſſerat, recurrere.

3. Ut veri Chriſtiani in humilitate obedirent Rectorum Eccleſiæ Definitionibus, ſicut præceperat: *Si non audierit Eccleſiam, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Mat. 18. v. 17.

Q. *Si quis diceret, Scripturam non indigere explanatione, ſed omnibus bonô animô legentibus patere?*

R. Eum, hac loquela oppugnaturum 1. ipſam Scripturam: Sanctus enim Petrus expreſsè teſtatur de Epiſtolis S. Pauli: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas.* 2. Petri 3. v. 16.

2. Oppugnaturum suorum consvetudinem: cùm aliàs frustra Ministri ad perorandas Conciones adhiberentur.

3. Oppugnaturum experientiam: ex qua constat, plurima reperiri in Sacra Scriptura, quæ ad literam accipi nequeant: e. c. *Melior est iniquitas Viri, quàm Mulier benefaciens.* Eccl. 44. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui omnino non resurgent?* 1. Cor. 15. Item quomodonam combinandum illud Psal. 1. *Non resurgent impii in Judicio*, cum hoc 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus.* &c. &c.

Q. *Quomodo igitur Scriptura lucerna est?*

R. Scripturam prout rectè & legitimè per Ecclesiam explanatam, lucernam esse.

Q. *Quodsi dixerint, unum Textum minùs clarum, explicandum esse per clariorem?*

R. Nec hoc valere: restabit enim controversia, quinam Textus dicendi sint clariores; cùm quivis Scripturam, quam pro se citat, arbitretur esse clarissimam.

Q. *In Exemplo?*

R. Arriani existimabant Textum hunc: *Pater major me est*, quo errorem suum illiniunt, esse clarissimum.

Anabaptistæ censent, Scripturam: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic salvus erit*, quam contra Baptismum parvulorum detorquent, esse omnino perspicuam.

Calviniani arbitrantur, Textu illo: *Caro*

non

non prodest quidquam. quem adversus realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam, adducere consveverunt, nihil dari clarius.

Q. *Possuntnè dicere, Spiritum S. cuivis Amatori veritatis assistere, ut Scripturam valeat intelligere?*

R. Non possunt: 1. Siquidem etiam Pastores tam Lutherani quàm Calviniani, licèt profiteantur, se veritatem diligere, quin imo & Spiritûs S. illuminationem habere, nihilominus in gravissimis punctis circa Scripturæ sensum nequeunt convenire.

2. Quid clarius illîs Mat: 26. verbis: *Hoc est Corpus meum?* & tamen Calvinus nomine Corporis, solum signum corporis, Lutherus verò panem unà cum corpore, intelligit.

3. Si Spiritus S. in ordine ad interpretandam Scripturam, illaque scienda quænam credenda sint, cuivis immediatè concedendus fuisset, tunc frustra instituisset Christus Apostolos & Doctores; frustra præcepisset audire Ecclesiam.

Q. *Si quis Ministrorum Dissidentium, dum Latino aut Germanico S. Scripturæ Textu à Catholicis premitur, ad Græcum aut Hebraicum Textum recurrat, dicens: non sic in Græco, non sic in Hebraico: poteritnè hoc loquendi modo quempiam con vincere?*

R. Omnino neminem.

Q. *Quare?*

R. Ideo 1. Quoniam nemo sibi credibiliter persvadere potest, Homines, qui Græcum aut Hebraicum Idioma obiter solùm delibârunt, phrases & significationem ejus penitiùs intelligere, quàm olim intellexerint, qui in publico Græcorum (protunc adhuc florentium) & Latinorum DD. Theatro, cum omnium approbatione, Biblia in Latinum transtulerunt

2. Nullus ex Græcis Patribus, quamvis Idioma Græcum cum lacte hausissent, Latinam Romanæ Ecclesiæ Versionem reprobavit: quis igitur credat, si reprobetur ab iis, qui aliqualem notitiam ejus, solùm adscititiam habent, nec unquam inter se hac in parte conveniunt.

3. Siquidem ad Textum Græcum aut Hebraicum, inter disputandum coram secularibus, (qui ordinariè horum Idiomatum non pollent notitiâ) confugere, nihil aliud est, quàm velle Scripturæ & Argumentorum vim eludere, Auditores verò novis dubitationibus & obscuritatibus implicare.

Q. *Quid ex dictis hactenus colligitur?*

R. Colligitur 1. Christianum, ni multùm à veritate deviare velit, omnino debere Scripturam sumere juxta antiquum Ecclesiæ Catholicæ sensum & interpretationem.

2. Præter Scripturam debere dari visibilem Controversiarum Judicem, qui infallibiliter de-

determinet, quonam ſenſu Scriptura ſumenda ſit.

3. Eidem Judici eſſe acquieſcendum etiam circa illa, quæ clarè & expreſsè non continentur in Scriptura.

Hunc autem Judicem eſſe Romanam Catholicam Eccleſiam, facillimè ex immediatè ſequentibus paragraphis colligetur: & quidem ſumendo Eccleſiam ſive pro Capite ſuo, nimirum Pontifice Romano, ſive pro Capite unà cum præcipuis Membris, id eſt Concilio Generali Epiſcoporum & Doctorum.

Certè dum ſpectatur Eccleſia ut docens, dijudicans, decernens, mandans atque proponens quæ credenda ſunt, nequit ſumi pro omni fideli populo: non enim omnes ſunt Doctores 1. Cor. 12. v. 29. non omnes Rectores: nec omnibus hac in parte infallibilis Spiritûs S. aſſiſtentia conceſſa eſt: ut conſtat ex §. 1.

Q. *Licetnè omnibus Biblia legere?*

R. 1. Illis omnibus Viris prudentibus, de quibus conſtat, quod valeant inde ſpiritualem fructum ſumere, libentiſſimè permittitur, imo conſulitur ut legant.

2. De quibus verò id non conſtat, ſed timetur ne fortè abutantur DEI Verbô, & ex perverſa intelligentia ſua detrimentum Animæ patiantur, iis petenda eſt facultas à ſuis Paſtoribus, ad illos enim ſpectat diſcernere, quisnam ex hujusmodi lectione emolumentum per-

percipere valeat. Quanquam Evangelia, plurimasque clariores S. Scripturæ Lectiones ordinariè etiam populo insinuare consvevimus.

Q. *Ut quid petenda facultas ab hominibus, legendi DEI Verbum?*

R. Ideo 1. Ut boni animarum Pastores advertant, num homo ille, qui Sacras Literas scrutari præsumit, non sit perversi capitis, & instar aranei, etiam de roseto Toxicum, id est, novi erroris semina relaturus.

Nonnè docet experientia? etiam nostris Temporibus homines dari hujusmodi, de quibus S. Petrus 2. Epist: 3. v. 16. *In quibus* (nimirum S. Pauli Epistolis) *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.*

2. Ut Pastor bonus Oviculas suas pro priori commonefaciat, DEI Verbum non esse frivolè, merè temporis fallendi aut curiositatis gratiâ, sed cum recta intentione, humilitate atque devotione legendum.

3. Ut discernat, num hæc vel illa Editio, non sit falsificata, perversa, aut variis comentitiis Glossis depravata.

Q. *Propter abusum aliquorum debetnè omnibus tam salutaris lectio interdici?*

R. Falsum est, quòd Ecclesia Romana omnibus omnino secularibus lectionem præfatam interdicat. Deinde, hocnè est, Lectionem Scripturæ absolutè prohibere populo, velle ut

is

is pro priori se sistat suo Pastori? aut, ideonè Mater suo Filiolo panem negat, quòd vulneris vitandi causâ, nolit manu parvuli, sed potiùs propriâ, eundem scindi?

Q. *Quare tamen Christus monet Joan: 5. v. 39.* Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ Testimonium perhibent de me.

R. Evidens est, Christum Dominum citato capite, Pharisæos & Legisperitos, (postquam illis exprobrâsset incredulitatem etiam post tot à se patrata Miracula) monuisse, ut vaticinia Prophetarum evolverent, ibique expressa de se Testimonia adverterent. Hocnè est præceptum dare legendi Sacram Scripturam, omnibus Christianis?

Quid igitur facient, qui legere nesciunt? quomodo poterant Gentes converti ab Apostolis, cùm nondum protunc Testamentum novum conscriptum, nec Vetus in Linguas earum vernaculas, translatum esset?

§. 7.

De Ecclesia, quæ proponit nobis credenda.

Q. *Requiriturnè præter Scripturam S. etiam infallibile Ecclesiæ Judicium, quo credenda nobis proponantur?*

R. Omnino requiritur?

Q. *Qua-*

Q. *Quare?*

R. 5. potissimùm de causis. 1. Ut certò & infallibiliter sciamus, quinam Libri sint revera Verbum DEI, qui verò non.

2. Quænam ex Hebraico & Græco Textu in Linguam vernaculam Versio, sit legitima.

3. Quomodo hic vel ille difficilior Textus sit intelligendus.

4. Ut dum aliqua Controversia circa hæc vel illa credenda exoritur, habeatur Judex, qui litem infallibiliter concludat.

5. Quoniam (ut constat ex dictis §. 5.) etiam alia à DEO revelata sunt, quæ non repeυriuntur expresè in Scriptura, igitur hæc proponi debent ab Ecclesia.

Q. *Quid proinde de iis, qui infallibili Ecclesiæ Judicio acquiescere recusant, sentiendum primò?*

R. Eos nullam habere posse certitudinem, quinam Libri sint Verbum DEI.

Q. *Quare?*

R. Quoniam hoc in gravissimo puncto, ex una parte solùm pro fundamento habent fallibile suorum Ministrorum arbitrium. Ex altera verò parte hi ipsi Ministri circa determinationem Librorum Canonicorum nequeunt inter se convenire.

Q. *Quid sentiendum secundò?*

R. Eos non posse habere certitudinem de Versione S. Scripturæ ex Originali in Linguam vernaculam, legitima.

Q. *Qua-*

Q. *Quare?*

R. Quoniam ex una parte pro fundamento habent fallibilem suorum Ministrorum, certè non tantopere prout olim Patres Latini & Græci, Linguam Hebraicam aut Græcam callentium, sententiam. Ex altera verò parte hi ipsi continuò inter se, & interdum etiam singulîs nundinis, circa versionem (& quidem in substantialibus) discrepant.

Q. *Unde quòd in substantialibus discrepant?*

R. Ex ipsorummet testimoniis: e. c. Zwinglius de Versione ipsius Lutheri ait: *Lutherum in ea Verbum DEI depravâsse & falsificâsse.* E-contra verò Lutherus de Versione Zwinglianorum docet: *Omnes quotquot circa eam laborârunt, asinos, Antichristos fuisse.* Angli scribunt: *Versionem Genevensem esse omnium pessimam & maximè erroneam,* &c. &c.

Q. *Quid sentiendum tertiò?*

R. Non posse esse securos de vero Scripturæ sensu.

Q. *Quare?*

R. Quia ex una parte nituntur fallibili & recenter inventa suorum Ministrorum interpretatione. Ex altera verò parte, hi ipsi circa Res de quibus controvertitur, in literali sensu convenire nequeunt: ut patet ex assiduis, inter se, etiam in præcipuis Fidei punctis, contentionibus.

Q. *Quid sentiendum quartò?*

R. Eos

R. Eos non posse (dum quidnam credendum dubitant) litem finire, sed debere omnia interminata relinquere.

Q. *Quare?*

R. Quia Ecclesiam pro Controversiarum Judice non acceptant.

Q. *Declaretur id ipsum?*

R. Sicut in Judicio politico, finiri lites absque Judice vivo nequeunt, quamvis utraque pars Leges & Reipublicæ Statuta pro se allegaret: ita in Rebus Fidei, Controversiæ rectè concludi, & veritas determinari non poterit, esto pro & contra citetur Scriptura, nisi admittatur Judex, qui rem, verumque Legum Divinarum sensum definiat.

Q. *Quid ex dictis concludimus?*

R. Eum, qui Definitionibus, Sacræque Scripturæ interpretationibus Ecclesiæ non acquiescit, non posse in sua Fide securum esse, cùm prudenter loquendo, necessariò debeat dubitare de principali Fidei fundamento, nimirum Scriptura S. ejusque Versione & Interpretatione.

Q. *Sed quæ est vera Christi Ecclesia, cui infallibilis Spiritûs S. assistentia, in ordine ad proponendum nobis, quæ credenda sunt, appromissa est?*

R. Sola Romana Catholica.

Q. *Quare?*

R. Hæc enim sola habet evidentia veræ Christi Ecclesiæ signa.

Q. *Quod*

Q. *Quod est primum Signum ?*

R Unitas Doctrinæ & Capitis: de primo S. Paulus ad Ephe: c. 4. v. 5. *Unus DEus, una Fides.* De secundo Christus ipse Joan. 10. v. 16 *Fiet unum Ovile & unus Pastor.*

Porro certum est, quòd totum id, quidquid à Romana Ecclesia definitum & pro Articulo Fidei habetur, omnes Catholici per universum Orbem, Europam, Asiam, Africam & Americam, uniformiter doceant, credant, atque profiteantur.

Q. *Utique etiam inter Catholicos, tot Disputationes, tanta opinionum & controversiarum varietas ?*

R. Verùm controversiæ hujusmodi vel non sunt de ipsis Fidei Articulis, quinam credendi, vel si aliquando contingit esse, præmissis pro & contra Disputationibus, facili negotio concluduntur. Postquam enim Ecclesia statuerit quid tenendum, obligatur quilibet huic Definitioni adhærere: qui verò refragantur, jam eo ipso censentur non esse Catholici, sed abscissi ab Ecclesia.

Q. *Potestnè haberi vera Doctrina unitas extra Ecclesiam Romanam Catholicam ?*

R. Non potest: ibi enim plerique Scripturam sumunt juxta privatum judicium suum; unde connaturaliter loquendo, quot Capita perspicaciora, tot ferè sensus & doctrinæ.

Q. *In Exemplo ?*

R. Mi-

R. Ministri Protestantium in Anglia tradunt Doctrinam Fidei à cæteris Protestantibus Germaniæ in multis omnino diversam: qui denuò subdivisi sunt in Protestantes, Puritanos, Independentes, Tremblantes &c. &c. In Batavia alii sequuntur doctrinam Gommari, alii Arminii, &c. &c.

Inter Pastores, quos Evangelicos nominant, alii tria statuunt Sacramenta, alii duo. Alii volunt Christum adorandum esse in Eucharistia, alii adorationes hujusmodi idololatriam vocant. Hi admittunt Confessionem auricularem, illi non. Hi docent Opera bona necessaria esse ad salutem, illi negant. Alii volunt Christum etiam quo ad Naturam Humanam esse ubique, alii non. Alii legunt Missas Idiomate Germanico, alii talia execrantur &c.

Q. *Ipsiusnè Lutheri doctrina eadem?*

R. Non: Scribens enim de Potestate Papæ, e.c. docuit, septem dari Sacramenta: scribens de captivitate Babilonica, tantùm 3. scribens ad Valdenses, 2. & iterum ubi de captivitate Babilonica, unum solùm statuit Sacramentum videlicet Baptismum.

An: 1522. postquam jam plenè restitisset Papæ, Tom. 2. Ger. Jen. docuerat, Communionem sub una specie, ritè sumi. Quod ipsum negavit postea An: 1526. Tom. 3. Ger. Jen.

Q. *Quid de Calvino?*

R. Calvinus agnoscit Miraculum in Cæna Do-

Domini, Tract: de Concordia ineunda: negat verò Insti: l. 4. c. 17. Item docet, neminem absque Baptismo salvari, ad cap. 3. Joan: Negat verò Instit. l. 4. c. 16. &c. &c.

Q. *Quod secundum veræ Ecclesiæ Signum?*

R. Antiquitas Ecclesiæ & Doctrinæ, non qualiscunque, sed à Christi & Apostolorum temporibus inchoata, & ad nostra usque tempora sine interruptione continuata. Certum enim est, Ecclesiam veram Christi, debere ab Ascensione ejus, 17. circiter secula numerare, & quidem absque intermediante cessatione: cùm Dominus ipse disertè appromiserit Mat: 16. Ecclesiam suam, nequidem à portis Inferi fore expugnandam.

Q. *Unde colligimus, Ecclesiam Romanam ejusque Doctrinam tot seculîs, & quidem absque interruptione stetisse?*

R. Hoc adeo evidens est, ut nullius antiquitatis infallibilior notitia in hac mortali vita haberi queat. Colligitur enim ex innumeris SS. Patrum, Doctorum, atque Scriptorum, etiam antiquissimis Codicibus, in quibus legimus & palpamus, Ecclesiam Romanam à S. Petro fundatam, eandem semper habuisse in omnes Christi Fideles Authoritatem, eandem, quam modò, tradidisse etiam primîs seculîs Doctrinam.

2. Colligitur ex continua Romanorum Pontificum in Ecclesiæ Regimine successione, pro-

ut ipse olim collegerat Augustinus, numerans à S. Petro ad sua usque tempora, Pontifices Romanos 39. nos verò ad nostra tempora 247. recensemus.

3. Licèt omnium contradicentium ingenia, in unum Caput coagularentur, nunquam tamen vel probabiliter ostendere poterunt, quonam tempore cessaverit vera Fides, aut in quos primùm errores Romana Ecclesia prolapsa sit, aut sub quo Pontifice &c.

Q. *Habetnè modernorum Diffidentium Cœtus, præfatam, quam Christi Ecclesia habere debet, antiquitatem?*

R. Nequaquam: Lutheri enim Cætus & Doctrina, primùm sumpsit originem An: 1517. Calvini verò annis 20. post: Nec ab ullo indigitari potest, ubinam terrarum ante eos extiterit.

Q. *Quid inde sequitur?*

R. Siquidem vera Christi Ecclesia 17. circiter secula numerare debet, Ergo, quæ hanc ætatem non habet, nequit dici vera Ecclesia.

Q. *Sed respondent nonnulli, Doctrinam suam in quibusdam viris cordatis, qui Pontifici Romano intrepidè recalcitrabant, semper floruisse?*

R. Responsionem hanc non solùm esse evidenter vanam & absque ullo fundamento, verùm etiam Honoratioribus Diffidentibus nimis indecoram. Si enim Seculorum evolvamus Historias, non alios reperiemus, qui anti-

quitus

quitus in materia Fidei Romanis Pontificibus restitissent, præterquam e. c. Simonem Magum, Arrianos, Manichæos, Nestorianos, Novatianos, Donatistas, Vigilantianos, Iconomachos, aliosque complures ejusdem farinæ, toties ab universali Ecclesia anathematizatos.

Q. *Quid, si aliquis Ministrorum diceret, suam suorumque Ecclesiam & doctrinam, per prima 4. secula viguisse?*

R. 1. Id nullatenus rectè dici posse, cùm manifestum sit, doctrinam hanc è diametro opponi Doctrinæ SS. Patrum, qui illîs seculîs vixerunt, e. c. Dionysii, Cypriani, Basilii, Augustini, Hieronymi, Ambrosii &c. &c. prout brevi intuebimur.

2. Sed licèt id diceretur, inde tamen inferremus, Ecclesiam suam post 4. secula defecisse, & plus quàm mille annîs sepultam jacuisse, ac proinde, vel eo ipso non esse veram Christi Ecclesiam, de qua omnino verificandum illud: *Nec portæ Inferi prævalebunt adversus eam.* Mat. 16.

Q. *Non desunt utique Ministri, qui docent, Ecclesiam suam ante Lutherum & Calvinum fuisse invisibilem?*

R. Hujusmodi Ministros vel eo ipso demonstrare, suam, non esse Christi Ecclesiam, cùm delituerit olim (ut ipsi volunt) in talibus non nisi hypocritis, qui omni zelo, pietate, ac Christiano robore destituti, fidem ac do-

ctrinam suam, palam ac sensibiliter profiteri noluerunt, quamvis Christus ipse severè monuerit: *Qui me negaverit coram hominibus, negabitur coram Angelis DEI.* Luc.12. v. 9.

Deinde Christus præcepit audire veram Ecclesiam: Mat. c. 18. v. 17. *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Igitur necesse est hanc esse visibilem.

Q. *Quid hac de re S. Augustinus?*

R. *Facilius est solem extingvi, quàm Ecclesiam disparere.* Tract. 4. in Joan.

Q. *Quod tertium apud Romano-Catholicos Signum Veræ Ecclesiæ?*

R. Est Doctrinæ & tot piissimorum hominum eximia Sanctitas.

Q. *Exemplum de Sanctitate Doctrinæ?*

R. Ecclesia Romana docet; Præcepta DEI posse cum Gratia ejus servari prout oportet ad salutem; & omnino debere: & quidem non solùm Præcepta Divina, verùm etiam humana potestatis tam spiritualis, quàm secularis. Hæc Ecclesia ducit suos viâ arctâ & per angustam portam (sicut Christus ipse fecerat) in bonis operibus, in jejuniis & mortificationibus corporis. Hìc contemnitur mundus cum suis vanitatibus per voluntariam plurimorum paupertatem: hìc subjicitur caro spiritui per devotam DEO castitatem: hìc resistitur voluntati propriæ per religiosam obedientiam & humilitatem &c. &c.

Q. Ex-

Q. *Exemplum de Sanctis?*

R. Omnes fateri coguntur, & disertè fatentur etiam ipsi moderatiores Dissidentes, Ecclesiam Romanam exornatam esse innumerîs, ex omni statu, Natione, sexu, conditione, Dignitate, literatura, ætate, tempore, piissimîs hominibûs, qui veluti viva morum Exempla, insigni Sanctitate, Miraculorum donô, omniumque Virtutum splendore prælucent cæteris. Quis prudens negare posset, e. c. (ut interim brevitatis gratiâ antiquiores SS. Patres prætermittam) Bernardum, Dominicum, Franciscum, Ignatium, Xaverium, &c. &c. eximios fuisse Sanctos.

Q. *Spiratnè Sanctitatem doctrina, quæ Ecclesiæ Romanæ opponitur?*

R. Non: quid enim Sanctitatis in hoc? solam Fidem justificare atque salvare: Opera bona nihil conducere ad salutem: Præcepta DEI non posse servari prout oportet: juramenta & vota religiosè DEO præstita non esse servanda: DEum prædestinare & reprobare homines absque intuitu suorum operum: Ecclesiæ non esse obediendum: Consilia Christi non esse observanda: non esse jejunandum, nec orandum prolixiùs, nec carnem esse mortificandam: sed solùm fiducialiter credendum, post hanc mortalem vitam jucundè peractam, omnia præterea nobis bona in æternum concedenda fore per Christum.

Q. *Quam spirant sanctitatem, hujus doctrinæ primi fundatores?*

R. Qui scire desiderat, evolvat Lutheri Tomos, præsertim verò colloquia ejus mensalia: nec non Calvini Codices. Ego enim, cùm eò præsenti Opusculo collimem, ut neminem offendam, etiam oculos & aures offendere vereor.

Q. *Sed fœda illa eloquia, quæ Catholici Authores è præfatis Tomis excerpta citare consueverunt, in recentioribus Editionibus nequaquam reperiuntur?*

R. Non mirandum, cùm Ministri Dissidentes, Opera hæc toties reimprimendo, flosculos hujusmodi, consultò præterierint: quoniam advertunt talia, quæ corrupto illo seculo (dum sola vivendi licentia, atque recalcitrandi Ecclesiæ, libido regnaret) multùm olim arridebant, jam nunc moderatioribus Dissidentibus, minimè placere. Et ideo ordinariè solemus etiam Annum & locum editionis, ipsumque Typographi Nomen citare.

Q. *Nunquid non reperiuntur tales, qui suspicantur, Lutheri & Calvini Tomos, ab ipsismet Catholicis reimpressos, totque turpiloquiis, instigante odio conspersos esse?*

R. Qui vel scintillam rectæ rationis, vel micam prudentiæ habet, id suspicari non poterit. Et quidem ideo, 1. Cùm enim præfati Tomi innumera contineant, quæ Ecclesiæ nostræ perniciosa sunt, quis Catholicorum adeo male-

malesanus, suæque Religioni injuriosus esset, ut propter quædam malè sonantia admiscenda adagia, hujusmodi Scripta Typis mandaret, atque per orbem publicaret?

2. Quæ talia fingendi, necessitas? cùm, adversa argumenta tanto rationum pondere, tot Scripturæ S. Testimoniis, evidenter valeamus, confutare?

3. Quod lucrum ad adeo graviter mentiendum invitaret? cùm omnibus rectè sentientibus perspectum sit, nos, ex labore, quem reconciliandis Ecclesiæ Romanæ Dissidentibus impendimus, emolumentum temporale nec prætendere, nec reportare.

Q. *Danturnè præterea adhuc alia veræ Ecclesiæ Signa apud Romano-Catholicos?*

R. Omnino dantur, & quidem innumera: e. c. *Congregatio Fidelium* ex omnibus Gentibus, ex omni mundi populo, sicut Christus de Ecclesia sua prædixerat, Marci 16. *Conversio Gentium* ad Christi Evangelium, quæ datæ sunt ei in hæreditatem Psal: 2. Hæc utique Ecclesia *mittit Evangelii Præcones ad ultimos fines terræ.* Tot habet *SS. Martyrum millia*, qui inter Barbaros ad præsentem usque diem, vitam & sanguinem pro Christi Nomine in Romana Catholica Religione liberaliter profundunt. In hac sola Ecclesia *innumera reperiuntur Signa & Miracula*, quibus veritas hujus Fidei continuò comprobatur, sicut Dominus ipse pollicitus est,

Marci 16. v. 17. *Signa autem, qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient - super ægros manus imponent, & bene habebunt &c.*

Q. *Sed dantur homines tales, qui Miracula, quæ non vident, fieri negant, quæ verò vident, infascinationi dæmonis adscribunt?*

R. Idem olim contigerat Miraculis ipsius Christi Domini, à Pharisæis, qui ideo dicuntur contra Spiritum S. peccâsse.

Q. *Nomine Ecclesiæ Romanæ intelligiturnè ille solùm Populus, qui Romæ existit?*

R. Non: Ecclesia enim Romana est Catholica, adeoque per universum Mundum diffusa: dicitur autem Romana, quoniam Caput ejus in terris est Romanus Pontifex.

Q. *Homo baptizatus, qui non ex ignorantia quadam invincibili, sed ex pervicacia Romanæ Catholicæ Ecclesiæ recalcitrat, potestnè salvari?*

R. Non: 1. Quoniam S. Paulus ad Romanos c. 13. v. 2. disertè monet: *Qui resistit Potestati, DEI ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et Christus ipse Mat. 18. v. 17. *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*

2. Quia talis, utpote extra Ecclesiam constitutus, non est de Corpore Christi: porro, *qui non est mecum, contra me est*, inquit Dominus, Mat. 12. v. 30.

Q. *Quid hac de re SS. Patres?*

R. E. c. S. Fulgentius ad Petrum Diaconum

de

de Fide, inquit: *Firmissimè tenemus, ac nullatenus dubitamus, quemlibet Schismaticum baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, qualescunque eleemosinas fecerit, etsi pro Christi Nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari?*

Et S. Augustinus Epist: 166. *Extra Ecclesiam non habent DEI Verbum, nec Sacramenta ad salutem, sed ad damnationem.*

Q. *Soletnè Ecclesia Romana aliquid contra Scripturam docere?*

R. Nequaquam: hoc quorundam Ministrorum figmentum est: Solet quidem Ecclesia aliqua docere, quæ non explicitè in Scriptura apparent, (cùm sui muneris sit, explicare quænam implicitè in S. Literis reperiantur) sed hoc non est contra Scripturam agere.

§. 8.

De Capite Ecclesiæ.

Q. *Habetnè Ecclesia Christi, Caput in terris visibile, cui omnium Fidelium Regimen, & specialis Spiritûs S. assistentia à Christo appromissa sit?*

R. Omnino: Christus enim ipse Petro ejusque Successoribus Authoritatem hanc concesserat.

Q. *Potestnè id ipsum Scripturâ comprobari?*

R. Plurimis Textibus adeo claris, ut opposita explicatione eludi nequeant: e. c. Mat.

16. v. 18. 19. inquit Christus Dominus ad Petrum: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus* (NB. Petros aut Cephas petram denotat, Joan: c. 1. v. 24.) *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo Claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Et, Joan: 21. v. 15. 16. ter repetitis vicibus: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Et Luc. 22. v. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua:* &, *tu aliquando conversus confirma Fratres tuos.*

Porro hanc Capitis Potestatem præfatis verbis concessam, exercuit Petrus, tum in electione Mathiæ, Act: 1. tum in electione primorum Diaconorum, Act: 6. Tum in definitione Controversiæ de Legalibus, Act: 15. quatenus cæteros Apostolos sua authoritate convocavit, & in Concilio primus sententiam dixit. &c.

Q. *Sed Pastores, Romanæ Ecclesiæ infensi, citatas Scripturas omnino aliter interpretantur, asserentes, nullum hic Primatum concessum fuisse Petro?*

R. Ante omnia hìc relegendum est, quod scribit ipse S. Petrus 2. Epist: c. 3. v. 16.; & deinde advertendum, nullum dari Scripturæ Textum, etiam circa prima Fidei Christianæ Mysteria, quem homo obstinatus & astutus non possit pro libitu explicare, & diversimodè interpretari; nec ullum Argumentum etiam vali-

validissimum, contra quod tenuis aliqua responsio haberi nequeat. Sed ideonè hujusmodi assertis securâ conscientiâ acquiescendum? Et hanc reflexionem peto in omnibus succedentibus Materiis, memoriâ teneri.

Q. *Forsan illo Textu:* Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c. *Christus nomine Petræ, nullatenus Petrum, sed unicè & præcisè seipsum, aut etiam præterea Fidem intelligere voluerat?*

R. Evidens est, explicationem hanc non esse juxta sensum literalem, præterea aliquid tale, quod contra Antiquissimum, Ecclesiæ, atque Scripturæ Interpretum sensum, recenter excogitatum. Quis igitur credat?

Q. *Petros denotat parvam petram, ast petra significat ex Græco magnam: quomodo ergo poterat Christus Petrum parvam & simul magnam appellare petram?*

R. En ratiocinationem, non in ostensione Spiritûs & veritatis, sed in humanæ sapientiæ verbis collocatam! Cur Christus non potuisset Petrum, parvam simul & magnam nominare petram? sed & falsum est, quod ex Græco adducitur: cùm vox ista, petra, adhiberi soleat sive ad parvam, sive magnam aut mediocrem petram denotandam.

Q. *Utique etiam reliquis postea Apostolis, ligandi potestas atque solvendi à peccatis, concessa, ovesque pascendæ commissæ sunt?*

R. Ve-

R. Verum eſt, ſed principaliter Petro, cùm nulli Apoſtolorum ſic in particulari, Poteſtas in omnes Chriſti Fideles tradita ſit, prout Petro. Et quamvis etiam reliquis Apoſtolis conceſſum, ligare & ſolvere à peccatis, ſoli tamen Petrô collatæ ſunt Claves, per quod univerſaliſſima Poteſtas denotatur, ſic dictante tam recta ratione, quàm Scripturâ, e.c. Iſaiæ c.22. *Dabo clavem Domûs David ſuper humerum ejus.*

Q. *Quare tamen Paulus reprehenderat Petrum, ad Gal: 2. ratione diſſimulatæ ad tempus, circumciſionis? Quod utique non feciſſet, ſi Petrus Superior ejus fuiſſet?*

R. Nihil eſſe novi, ſuperiorem interdum à ſuo inferiore, ſive ex confidentia, ſive zelo, ſive ſpeciali DEI mandato, commoneri, modò id fiat prudenter & circumſpectè. Sic monuerat, & quidem admodũ zelosè Jethro Moyſen, Exod: 18. Juvenis adhuc Samuel ſummum Sacerdotem Heli; Nathan Davidem &c. Sic faciunt etiam nunc Concionatores, Confeſſarii Regum, Epiſcoporum, ipſiusque Summi Pontificis.

Q. *Sed nonnulli arbitrantur, Petrum, diſſimulando quorundam Circumciſionem, in Fide errâſſe, & ideo à Paulo reprehenſum fuiſſe?*

R Qua fronte quis aſſereret, Petrum errâſſe, eadem omnino dicere poſſet, potiùs Paulum errâſſe, immeritò reprehendendo Petrum, idemque etiam reliquis Apoſtolis appingere,

ac proinde totam Scripturæ veritatem in dubium revocare.

Q. *Quid igitur sentiendum?*

R. Omnino credendum est, nec Petrum nec Paulum in Fide errare potuisse, sed illos duntaxat graviter errare; qui relicta antiqua Scripturarum combinatione, proprio confisi ingenio, audent SS. Apostolorum dicta & facta perversè interpretari.

Q. *Nunquid non ait Christus Marci 10. v. 44.* Quicunque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus: *Quomodo igitur Petrus poterat habere Primatum in reliquos Apostolos?*

R. Jurisdictionem habere in alios, & aliis servire, omnino componibilia sunt: & ideo Christus ipse, Supremus omnium Dominus, immediatè v. 45. subjunxit: *Nam & Filius hominis, non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret.*

Deinde, sicut Christus prohibuit, Primatum ambitiosè quærere; ita præcepit, illi, qui ad hujusmodi Authoritatem legitimè evehitur, humiliter obtemperare.

Q. *Eademnè Authoritas & specialis Spiritûs S. assistentia, quæ Petro, etiam Successoribus ejus, seu Romanis Pontificibus concessa?*

R. Omnino: non enim voluerat Christus Ecclesiam suam, unà cum Petri vita extinguendam esse, sed potiùs per Successores ejus perpetuò gubernandam.

Nec

Nec tale Caput magis necessarium fuerat tempore Apostolorum, quàm postea, & nunc: semper enim oves & agni Christi pascendi, semper Fratres in Fide confirmandi sunt &c.

Q. *Quid hac de re Sancti Patres, qui in primitiva Ecclesia floruerunt?*

R. Omnes, unanimi voce testantur, Romanum Pontificem esse universæ Ecclesiæ Christi Caput & Rectorem, supremumque in Controversiis Fidei Judicem.

Q. *Exempli causâ?*

R. Ex innumeris solùm aliqua, brevitatis gratiâ adduco Testimonia. In Concilio Nicæno primo (cui nec ipsi moderatiores Dissidentes refragantur) docent Ecclesiæ primitivæ Patres, e. c. Can: 1. *Non debent præter Romani Pontificis sententiam, Concilia celebrari.* Et Can: 3. *Nihil definire inconsulto Romano Pontifice permissum est, cùm Beato Petro Apostolo, non ab alio quàm ab ipso Domino dictum sit, quæcunque ligaveris &c.* Et Can: 6. *Ecclesia Romana semper habuit Primatum.* Et in ejusdem Concilii Canonibus Arabicis, Tom: 1. *Ille, qui tenet sedem Romæ, Caput & Princeps est omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus.*

S. Aug: Epist: 162, ait: *In Ecclesia Romana semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Et Irenæus Lib. 1. de Ecclesia Romana sic loquitur: *Ad hanc enim Ecclesiam, propter principalitatem, necesse erit convenire omnem Ecclesiam.* Et Cy-

Cyprianus Epist: 40. *DEus unus est, Christus unus est, Ecclesia una, & Cathedra una super Petrum, Domini voce fundata.* Et Epist: 55. docet: *Inde oriri hæreses & schismata, quòd Sacerdoti DEI non obtemperatur, neque unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & Christi Vicarius cogitatur.*

Q. *Quid, si diceretur, hos omnes, homines fuisse?*

R. 1. Etiam Apostolos fuisse homines, igitur nec illis credendum? Homines quidem fuerant tam Apostoli, quàm eorum legitimi Successores, sed sicut illi, ita isti, speciali in docendo Spiritûs S. assistentiâ præditi: cùm Christus Ecclesiæ suæ appromiserit: *Dabit vobis Spiritum veritatis, ut maneat vobiscum in æternum.* Joan: 14. v. 16.

2. Saltem quivis Dissidentium fateri cogitur, ex his aliisque innumeris Testimoniis, evidenter colligi, hanc semper fuisse etiam in primitiva Ecclesia, Scripturæ Interpretationem, quòd scilicet Romanus Episcopus sit universæ Ecclesiæ Caput & Judex Controversiarum: cui interpretationi, procul dubio securiori conscientiâ inniti poterit, quàm recenter inventæ.

Et hæ adversiones toties in memoriam revocandæ, quotiescunque veritas aliqua, SS.PP. Authoritate confirmabitur.

):(✠):(

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De Spe Christiana.

§. I.

Q. *Quid & qualis Spes Christiana?*

R. Spes est virtus, per quam cum fiducia salutis, æternæ vitæ bona expectamus.

Q. *In quo spes nostra collocanda?*

R. In DEO & Domino nostro JESU Christo, ejusque pretiosis Meritis: *Nec enim aliud Nomen est sub sole, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. v. 12.

Q. *Quonam sensu?*

R. Non hoc sensu, quasi verò ad salutem sufficiat, solùm credere, Christum Dominum pro peccatis nostris satisfecisse: cùm etiam omnia reliqua à DEO revelata credenda sint, ac præterea Mandata DEI servanda, ut inferiùs videbimus.

Nec hoc sensu, quasi credere debeant homines, peccata infallibiliter sibi remissa, & vitam æternam conferendam esse propter Christum, licèt interim nihil boni egerint aut egissent: id enim non est Fides, nec Spes, nec Fiducia

ducia, sed præsumptio è diametro Spei opposita.

Q. *Quomodo igitur tota Spes nostra in Christo sita est?*

R. 1. Quatenus omnes Gratias ex ejus Meritis sperare debemus, quibus adjuti, Mandata ejus, prout oportet ad salutem, implere valeamus.

2. Quatenus propter Christi Merita, omnibus ritè credentibus, & bene operantibus Vita æterna promissa est.

Q. *Debetnè Spem Christianam comitari etiam Timor DEI?*

R. Omnino: & ideo Christus ipse monuerat Apostolos; *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem, mittere in gehennam.* Luc: 12. v. 5.

Q. *Sperans in Domino, potestnè certò scire, se esse in gratia DEI?*

R. Quamvis homo fidelis & pius, qui operatur justitiam, multùm possit esse securus de Divina Gratia; citra tamen specialem DEI revelationem, nequit habere illam summam certitudinem, nimirum Fidei.

Q. *Quare non?*

R. Licèt enim in communi revelatum sit, omnes Fideles Mandata DEI custodientes, Gratiam ejus possidere; non tamen tibi in particulari revelatum est, num re vera ita prout oportet, Mandata observaveris. *Nescit homo*

utrum amore an odio dignus sit, inquit Ecclesi: c. 9. v. 1. Idque ideo ut cum majori solicitudine, *cum metu & tremore salutem nostram operemur.* Ad Philip: 2. v. 12.

Q. *Quæ vitia Spei Christianæ opponuntur?*

R. Duo: *Desperatio*, dum quis de Misericordia DEI, remissione peccatorum, & vita æterna adipiscenda desperat; & *Præsumptio*, e. c. dum quis existimat, se fore salvandum propter Christum, quamvis præcepta ejus non observaret. Et hæc dicuntur peccata contra Spiritum S.

Q. *Quid petendum & sperandum à DEO?*

R. Imprimis bona Cælestia & Æterna, deinde etiam temporalia, quæ & in quantum non officiunt æternis. Totum id Oratione Dominica comprehenditur.

§. 2.

De Oratione Dominica.

Q. *Quæ illa Oratio, quam ipse nobis Christus, Dominus & Magister noster tradidit?*

R. Hæc: Pater noster qui es in Cælis, sanctificetur Nomen tuum. Adveniat Regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in Cælo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimit-

dimittimus debitoribus noſtris: & ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos à malo.

Q. *Utquid Paſtores Diſſidentium adjecerunt:* Tua eſt virtus, tua poteſtas &c. ?

R. Ut etiam huic Scripturæ aliquid ſuperadderent

Q. *Dum aliquid à DEO petimus, tenemurnè credere, nos infallibiliter impetraturos?*

R. Non, ſed ſperare debemus. Credendum quidem eſt in omni Oratione, DEum id poſſe præſtare, quod oras, imo ordinariè præſtare omnibus rectè orantibus, ac etiam tibi præſtiturum, ſed ſub conditione, ſi bene & prout oportet, oraveris. Quoniam tamen revelatum non habes, num bene & prout oportet, ores, ideò ſperare quidem poteris, imò teneris, non tamen abſolutè & infallibiliter credere.

Q. *Quid hac de re S. Jacobus Apoſtolus?*

R. *Petitis, & non accipitis: eò quòd malè petatis.* c. 4. v. 3.

Q. *Utquid formamus ſignum S. Crucis ante Orationem?*

R. Tali ſigno Fidem noſtram in DEUM Trinum & unum, manifeſtamus, atque profitemur, nos Crucis Chriſti Amicos eſſe, & ſub hoc ſigno, adverſus tenebrarum Poteſtates DEO noſtro militare.

§. 3.

De Salutatione Angelica.

Q. *Qualis hæc ſalutatio ?*

R. Ave MARIA gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in Mulieribus, & benedictus fructus ventris tui JESUS. Sancta MARIA, Mater DEI, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.

Q. *Unde conſuetudo ſalutandi B. Virginem, emanavit ?*

R. Ab exemplo partim Angeli Gabrielis, qui Eam Nomine Sanctiſſimæ Trinitatîs ſalutaverat, partim S. Eliſabethæ.

Q. *Quid exinde infertur ?*

R. Si Angelus Domini B. Virginem DEI Genitricem ſalutavit, quomodo igitur eſca vermium, ſaccus ſtercorum, id eſt homo miſer, idem facere dedignabitur ?

Q. *Quo potiſſimùm tempore invaluerat conſvetudo ſuperaddendi alteram ſalutationi Angelicæ partem, videlicet:* S. MARIA &c. ?

R. Antiquitùs adverſus Neſtorium nolentem B Virginem, Matrem DEI appellare.

Q. *Qua de cauſa recitamus Salutationem Angelicam ?*

R. 1. Ut illis Generationibus annumerari mereamur, de quibus Ipſa in ſuo Cantico prophe-

phetizaverat: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes Generationes.* Luc. 1. v. 48.

2. Ut efficaciùs, quæ petimus, impetrare à Christo valeamus.

Q. *Utquid in Rosario eædem orationes, videlicet,* Pater noster, & Ave Maria, *toties repetuntur?*

R. Ut prolixiùs, & consequenter efficaciùs oremus. Utique Christus ipse, *prolixiùs oravit, in horto,* Luc. 22. v. 43. Et *Eundem Sermonem ter* repetiit, Marci 16. v. 20.

Q. *Credimusnè in B. Virginem Mariam?*

R. Nequaquam: in solum enim DEUM credimus. Ast de B. Virgine credimus & profitetur, quòd sit Mater DEI, adeoque singulari super omnes alias creaturas honore digna: quòd sit gratiâ plena: ab omni peccato ex Meritis Christi præservata: ante & post partum semper Virgo immaculata, sicut prædixerat Isaias c. 7 v. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur Nomen ejus Emmanuel.*

Q. *Adoramusnè B. Virginem veluti Deam?*

R. Non: hæc est impudens quorundam calumnia: solùm enim colimus Eam veluti Matrem DEI Salvatoris nostri, ac præterea invocamus, ut intercedat pro nobis peccatoribus apud Divinum Filium suum.

Q. *Quare invocamus?*

R. Si enim B. Virgo Maria poterat olim in Cana Galilææ (Joan: 2. v. 7.) à Christo Domino conversionem aquæ in vinum, illis pauperculis

Neosponsis impetrare; licèt nondum venisset hora patrandi hujusmodi miraculosa Beneficia, & quidem si adeo infallibiliter impetrare poterat, ut licèt Christus visus sit prima fronte, petitioni non annuere, Ipsa nihilominus quasi de præstando Beneficio certissima, mandaverit ministris, *quodcunque dixerit vobis, facite;* quomodo nunc in Cælesti Regno existens, multò majora impetrare non valebit?

§. 4.

Q. *Quomodo Orationibus nostris colendus & invocandus est Christus?*

R. Summo cultu, tanquam DEus, Redemptor & Salvator noster, atque unicus talis DEum inter & hominem Mediator, qui pretioso Sangvine suo, pro peccatis totius Mundi condignè satisfecit, omnibusque Gratiam & Gloriam (modò Meritorum ejus, per veram Fidem ac Præceptorum observationem, velimus fieri participes) promeruit. Quem proinde super omnia diligimus.

Q. *Potestnè aliquis Sanctus pro peccatis nostris satisfacere?*

R. Non: imo licèt omnes Sancti merita & passiones suas pro delictis nostris, DEO offerrent, non tamen vel pro unico peccato mortali valerent condignè satisfacere.

Q. *Pos-*

Q. *Possuntnè Sancti promereri nobis Gratiam DEI?*

R. Quamvis Orationibûs suis impetrare nobis soleant gratias, non tamen mereri: solus Christus illas nobis promeruit.

Q. *Quomodo igitur invocamus Christum?*

R. E. c. sic: *Da nobis Domine*, *Exaudi nos Domine*, *Miserere nobis*, &c. Sanctos verò omnino aliter: e. c. *S. Maria ora pro nobis: S. Petre, S. Paule orate pro nobis.*

Q. *Ubi magìs Christus ejusque merita extolluntur, apud Romano-Catholicos, an alibi?*

R. Apud Romano-Catholicos.

Q. *Unde quòd magis extollamus Merita Christi?*

R. Ideo 1. Quoniam principale DEI servitium, nimirum Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quotidie in memoriam & honorem Passionis Christi celebramus, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. & 19.

2. In venerationem ejusdem Passionis & Mortis, singulîs annis ante Pascha, jejunium Quadragesimale, unà cum plurimis pænitentiis & deprecationibus instituimus.

3. Singulîs feriis sextîs & Sabbathis in eundem finem jejunamus.

4. Ante singulas notabiliores actiones, signamus nos signo S. Crucis, eo ipso profitendo, quòd omne bonum, quidquid possidemus aut speramus, per Crucem, Mortem & Passionem Domini nostri JESU Christi, habere valeamus.

Q. *Quod fundamentum, magis extolli & glorificari Christum ipsum apud Catholicos?*

R. 1. Quoniam credunt & profitentur, Mandata DEI per Christi gratiam servari posse prout oportet, & debere.

2. Quia Catholici sicut firmiter credunt, Christum verè realiter in Eucharistia adesse præsentem, ita Eum ibidem continuò adorant.

3. Glorificant Christum etiam in Sanctis suis: quidquid enim cultûs exhibetur Sanctis, id totum ideo fit, quoniam Sancti sunt servi & amici Christi.

4. Venerantur Christum in Ejus Imaginibus, quas ideo reverenter habent, quòd repræsentent Christum.

5. Concludunt omnes Orationes etiam de Sanctis, *per Dominum nostrum JEsum Christum* &c.

§. 5.

Q. *Quomodo Orationibus nostris colenda & invocánda B. V. Maria?*

R. Tanquam Mater DEI, quæ Salvatorem Mundi, secundùm Naturam humanam nobis progenuit, adeoque cultu majori quàm omnes reliqui Sancti, incomparabiliter tamen minori, quàm DEUS ipse & Christus, prosequenda.

Q. *Utquid nonnulli detrahunt nobis, quasi verò æquali cultu S. Mariam ac etiam DEum ipsum prosequamur?*

R. Mul-

R. Multorum consuetudinem esse, ut, cùm Scripturâ & Argumentîs non valeant, conviciîs saltem conentur proficere.

Q. *Interdum tamen similibus videmur uti verbîs aut actionibûs externis, ac etiam dum Christum ipsum invocamus?*

R. Hîs tamen nunquam intendimus cultum Divinum exhibere B. Virgini aut aliis Sanctis. Porro actiones externæ & voces, juxta internam hominum intentionem pensandæ sunt: quam præterea intentionem toties omnibus manifestamus.

Q. *Quid ex hac occasione sentiendum de Pastoribus, nostræ Doctrinæ adversantibus?*

R. Eos non solùm æquales, verùm multò majores reverentias exhibere solitos esse homini mortali, e. c. terreno Principi, quàm ipsi DEO. Coram DEO enim, dum orant, arrectô capite, & galerô labiis admoto, consistere assueverunt; Principes verò terrenos etiam flexo poplite venerantur.

Q. *Quid hic mirandum?*

R. Quamvis ipsi incomparabiliter plus reverentiarum externarum, creaturæ quàm DEO exhibere soleant, nolunt tamen Adoratores creaturæ nuncupari, ideo, quòd profiteantur, se hujusmodi actionibûs cultum aliquem præstare Divinum, non intendere.

E contra, licèt Catholici coram universo Mundo protestentur, se quibuscunque demum

reverentiîs aut signîs exterioribus, nullatenus intendere, cultum Divinum exhibere Sanctis; ipsi nihilominus à consuetis improperiis desistere nequeunt.

§. 6.

Q. *Quomodo Orationibus nostris colendi & invocandi sunt Sancti?*

R. Veluti Fideles Servî & Amici Christi.

Q. *Sed qua de causa honorandi sunt Sancti?*

R. Quia honorat eos ipse DEus Pater: *Qui mihi ministráverit, honorificabit eum Pater meus.* Joan: 12. v. 26.

Honorat eos ipse DEI Filius: *Vos qui secuti estis me, sedebitis in Regno meo super sedes duodecim.* Mat: 19. v 28.

Honorat Sanctos ipse Spiritus S. e. c. per Ecclesiast: *Laudemus Viros gloriosos & Parentes nostros in generatione sua.* c. 44. v. 1. *Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia.* v. 15. Ergonè homo peccator, Sanctos colere tergiversabitur?

Q. *Sed fortè non adeo multis ceremoniîs externis colendi essent?*

R. Qui id dicunt, similia, imò multò plus præstare solent hominibus peccatoribus: e. c. Servi Domino, debitores Creditori, filii Parentibus, procus sponsæ suæ, &c.

Q. *Sa-*

Q. *Sacrificamusnè, aut Templa exstruimus Sanctis ?*

R. Nequaquam : Sacrificium enim Missæ litatur, & Ecclesiæ eriguntur soli DEO, quantumvis sub titulo alicujus Sancti.

Q. *Daturnè Præceptum etiam invocandi Sanctos ?*

R. Non quidem præceptum datur, sed salutare consilium.

Q. *Fitnè mentio intercessionis & invocationis Sanctorum in Scriptura ?*

R. Omnino : Angelus enim Domini oravit pro populo, dicens : *Domine Exercituum usque quò tu non miserebis Jerusalem.* Zacha: 1.v.12. Et S. Petrus pollicitus est, id se facturum post obitum suum : *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* 2. Petri 1. v. 15. Et Jacob moriens ac benedicens Filiis suis, ait : *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos Nomen meum, Nomina quoque Patrum meorum Abraham & Isaac, ut crescant in multitudinem.* Gen: 48. v. 16.

Q. *Sed Dominus ait :* Invoca me in die tribulationis. *Psal: 49. v. 15.* ?

R. Idem quoque Dominus dicit : *Ite ad servum meum Job, ipse orabit pro vobis, faciem ejus aspiciam, ut non vobis imputetur stultitia.* Job 42. v. 8.

Q. *Quomodo igitur hi Textus combinandi ?*

R. Sic :

R. Sic: solus quidem DEUS principaliter invocandus est tanquam Dominus ille, qui propria nobis potestate potest & solet benefacere: sed præterea etiam Sancti veluti Servi DEI, qui præcisè orent pro nobis DEum.

Q. *Relinquiturnè DEus, aut saltem minuitur Christi Mediatoris honor, vel Spes in hominibus collocatur, per Invocationem Sanctorum ?*

R. Nullatenus: Si enim S. Paulus DEum non reliquit, nec minuit Christi honorem, nec spem suam in hominibus locavit, expetendo orationem hominum adhuc mortalium & peccatorum: *Obsecro vos Fratres per charitatem S. Spiritûs, ut adjuvetis me in Orationibus pro me ad DEum, ut liberer ab infidelibus.* ad Rom: 15. v. 30. A fortiori neque nos, dum Sanctos in Cælo existentes invocamus.

Q. *Quare tempus hoc, quod aliàs Invocationi Sanctorum, non potiùs laudibus Christi impendimus ?*

R. Quia invocando Sanctos, millies & millies magis glorificamus Christum, juxta illud: *Laudate DEum in Sanctis suis.* Psal: 150.

Q. *Quare ?*

R. Invocare enim Sanctos, est in re convocare illos, ut unà nobiscum coram Majestate Domini nostri JESU Christi procidant, eumq; nobiscum laudent, glorificent, orent atq; adorent. Nunquid sic non magis, quoniam à pluribus, honorificatur Christus ?

Q. *Pos-*

Q. *Poſſuntnè Sancti in Cælo, noſtras in terris ſcire neceſſitates ?*

R. Omnino poſſunt DEO revelante.

Q. *Sed num defacto ſoleant ſcire ?*

R. Solent: Si enim Angeli in Cælo ſciunt, & delectantur pænitentiâ peccatorum, Luc. 15. igitur & Animæ ſanctæ, cùm de iis dicatur Mat. 22. v. 30. *Sunt ſicut Angeli DEI.*

Q. *Quare nihilominus dicitur Iſa: 63.* Abraham & Iſaac neſciunt nos.

R. Hoc ſenſu neſciverunt de ſuis, quo Chriſtus illis damnandis dicturus eſt in Judicio: *Neſcio vos*, Mat: 25. v. 12. Deinde Abraham & Iſaac nondum protunc fuerant in Cæleſti Gloria, ſed in Lymbo Patrum.

Q. *Qui primi cultum & Invocationem Sanctorum rejecerunt ?*

R. Vigilantius & Manichæus, olim à SS. PP. & tota primitiva Eccleſia reprobati.

Q. *Unde de hoc ?*

R. Teſtatur id S. Auguſtinus l. 20. c. 4. contra Fauſtum. Et S. Hieronymus l. 3. contra Vigilantium.

Q. *Quam ob cauſam credimus, DEUM per Sanctorum Reliquias multa nobis beneficia præſtare ?*

R. Conſtat enim id ex continua tot ſeculorum experientia.

Q. *Num hac de re aliquid in Scriptura ?*

R. Omnino: 4. Reg. 13. ad contactum oſ-

ſium

sum Elisæi Prophetæ, revixit mortuus. Et Act: 19. v. 12. per attactum sudariorum & semicinctiorum S. Pauli, morbi curabantur, & maligni spiritus expellebantur.

§. 7.
De Veneratione Imaginum Christi & Sanctorum.

Q. *Quare in Veneratione habemus Imagines sacras?*

R. Quoniam exprimunt & memoriæ suggerunt Christum ejusque Beneficia: item præclara Sanctorum Opera, quibus ad similia excitemur.

Q. *Fortè sola Scriptura sufficienter, id totum præstaret?*

R. Non ita clarè & efficaciter: expressiùs enim adumbrantur Gesta, penicillô pictoris, quàm Typô pressoris, ut docet experientia.

Q. *Quid hac de re in Scriptura?*

R. E. c. Exodi 25. v. 18. præceperat DEus supra Arcam Fæderis duos locari Cherubinos, quibus certè unà cum Arca, cultus aliquis deferebatur. Deinde Psal: 98. mandatur: *Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est.*

Q. *Utique præcepit DEUS Deut: 4.* Non facies tibi sculptile?

R. Sed additur: *Ut adores illud*: porro nos nullam Imaginem velut Idolum adoramus.

Q. *Ut-*

Q. *Utquid genuflexiones coram Crucifixo?*

R. Coram illo genu flectimus, quem imago denotat, nimirum Chriſto ad Dexteram DEI ſedente.

Q. *Nimis tamen colitis Imagines, inquiunt oppoſiti?*

R. Id ideo dicunt, quòd intentionem noſtram, toties ſibi manifeſtatam nolint apprehendere.

Q. *Faciuntnè ſimilia ipſimet Diſſidentes?*

R. Faciunt: Lutherani enim pingunt ſuos poſt mortem, ante Crucifixi Imaginem, compoſitis manibus genua flectentes. Calviniani venerantur ſaltem Biblia, cùm tamen hæc imago ſolùm ſint & expreſſio Divini Verbi, literîs & atro colore, à Typographo concinnata, æque creatura ac cæteræ imagines, quæ rubeô aut cæruleo colore, à Pictore effingi ſolent.

CAPUT TERTIUM.

De Charitate & Præceptis.

§. 1.

De Charitate.

Q. *Quid est Charitas?*

R. Est virtus qua DEus propter se diligitur, proximus autem propter DEum.

Q. *Quot sunt Præcepta Charitatis?*

R. Duo universalia: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex totis viribus tuis: hoc est primum & maximum Mandatum. Secundum verò simile huic: Diliges proximum sicut te ipsum. *Marci c. 12.*

Q. *Sunt utique qui asseveranter docent, se DEum ex toto corde diligere non posse, ideo, quoniam diligunt etiam creaturas.*

R. Dilige Dominum DEum tuum super omnia alia; dilige præterea amore rationabili creaturam, principaliter propter DEum, & diliges DEum ex toto corde tuo.

Q. *Quæ*

Q. *Quæ indicia Charitatis erga proximum statuit S. Paulus 1. Cor: c. 13.?*

R. Hæc: *Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia superat, omnia sustinet &c.*

Q. *Cur Præcepta Decalogi 10. proponuntur?*

R. Ut magis perspicuè omnes intelligant, quæ ad Charitatem DEI & proximi pertinent.

Q. *Quæ sunt Præcepta Decalogi?*

R. 1. Ego sum Dominus DEUS tuus. Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile ut adores illud. 2. Non assumes Nomen Domini DEI tui in vanum. 3. Memento ut diem Sabbathi sanctifices. 4. Honora Patrem tuum & Matrem tuam. 5. Non occides. 6. Non mæchaberis. 7. Non furtum facies. 8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. 9. Non concupisces Uxorem proximi tui. 10. Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt.

Q. *Præter Decalogum, num adhuc alia observanda?*

R. Omnino: nimirum quidquid DEUS præcipit, sive per Scripturam Prophetarum & Apostolorum, sive per Os Ecclesiæ.

§. 2.

De Observatione Præceptorum.

Q. *Possumusnè Præcepta DEI servare?*

R. Possumus cum DEI gratia: quoniam Christus ipse testatur: *Jugum meum suave est & onus meum leve.* Mat: 11. Et S. Joannes: *Hæc est Charitas DEI, ut Mandata ejus custodiamus & mandata ejus gravia non sunt.* Epist: 1. c. 5. v. 3.

Q. *Sed num perfectè ea implere valeamus?*

R. Possumus ita perfectè prout oportet ad salutem consequendam, non quidem propriis naturæ viribus, sed cum Gratia DEI, quam Christus omnibus promeruit.

Q. *Quod fundamentum?*

R. Quia S. Paulus ait: *Omnia possum in eo qui me confortat*, ad Philip: c. 4. v. 13. Deinde Luc: 1. v. 6. de Zacharia & Elisabeth habetur: *Erant justi ambo ante DEum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini, sine querela.*

Q. *Quæ ulterior hujus ratio?*

R. Aliàs enim DEus, nec esset bonus, præcipiens nobis quæ servare non valemus, nec esset justus, puniens æternâ pœnâ, Præceptorum

rum suorum transgressores, si hæc servatu essent impossibilia.

§. 3.
De necessitate & utilitate Bonorum Operum.

Q. *Bona Opera consistentia in observatione Præceptorum, requiruntur nè ad vitam æternam possidendam, an sola sufficiat Fides & fiducia?*

R. Omnino requiruntur etiam Bona Opera, cùm Christus Dominus expressè monuerit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Mat: 19. v. 17. Et S. Paulus: *Si omnem Fidem habuero, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* 1. Cor. 13. v. 2. Per charitatem autem observatio Mandatorum intelligitur.

Q. *Idemnè sentiunt moderni Dissidentes?*

R. Inter seculares honoratiores, multos reperiri, qui hac in parte Catholicæ Ecclesiæ consentiunt.

Q. *Sed quid eorum Pastores?*

R. Ex his complures, doctrinam illam Lutheri (*Nisi Fides absque omnibus etiam minimis bonis operibus fuerit, non justificat.* Tom. 1. Lat. Vittemb. fol. 371. p. 2. prop 3.) rigorosè ad hunc usque diem sequuntur.

Q. *Quod fundamentum?*

R. In omnibus enim lucubrationibus suis

præsertim controversisticis, principalissimè promovent, solam Fidem in Christum, cum fiducia, justificare & salvare peccatorem: Sed si fides sola justificat, igitur peccator, quamvis nihil præterea boni operaretur, modò fiducialiter credat, se per Christum salvandum; jam eo ipso est justificatus & salvandus. Et ideo ordinariè in scriptis & dictis suis, Fidem solam (licèt præterea etiam observationis Præceptorum mentionem aliquam faciant) veluti consolationem unicè & infallibiliter de salute certificantem, circumferre consueverunt.

Q. *Utique in libellis suis precatoriis, Catechismis minutioribus, aliisque hujusmodi, observationem Præceptorum, ferè instar Authorum Catholicorum, commendare solent?*

R. Hæc solùm ad speciem dici, cùm re vera sic intelligenda esse velint: *Præcepta DEI sunt quidem observanda, nihilominus etiam ille qui id non faceret, modò firmiter credat, se omnino salvatum iri per Christum, infallibiliter salvabitur.* Docent enim, non propter Opera Bona dari vitam æternam, sed solam Fidem justificare atque salvare.

Q. *Quid ex hac doctrina sequitur?*

R. Aperiri viam latam: quis enim tali insistendo persuasioni, Præcepta DEI observaret, si absque tot impensis, æque bene per solam Fidem salvari posset?

Q. *Quomodo Fides vera, si absque bonis operibus?*

R. 1.

R. 1. Dari defacto Fidem absque bonis operibus, quotidianâ constat experientiâ, in tot Fidelibus partim ex fragilitate, partim malitia peccantibus.

2. Posse dari omnem Fidem sine charitate & bonis operibus, imo firmissimam Fidem, imo Fidem tantam, quæ etiam ad miraculosam translationem montium sufficiat, colligitur ex ipsius S. Pauli verbis: *Si omnem Fidem habuero, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* 1. Cor: 13. v. 2.

Q. *Igitur non propter solam etiam veram Fidem vita æterna dari solet?*

R. Non, sed etiam propter Opera bona.

Q. *Unde hoc?*

R. 1. Quoniam innumerîs Scripturæ locîs, vita æterna, & quidem veluti merces & præmium bonis operibus promittitur. e. c. Mat: 5. v. 12. *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in Cælis.* Et 1. Cor: 3. v. 8. *Unusquisque propriam mercedem secundùm laborem suum accipiet.*

2. Quia innumerîs præterea Textibûs, pœna æterna proponitur illis, qui Fidei bona Opera non adjiciunt: e. c. Mat: 7. v. 21. *Non omnis, qui dixerit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei.* Proinde S. Paulus superiùs citatus ait: *Si omnem Fidem habuero, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Q. *Nunquid non Fidei, toties in Scriptura vita æterna appromittitur?*

R. Sed non soli Fidei, verùm aliis in locis etiam Operibus, ut constat ex immediatè dictis.

Q. *Quid hinc colligitur?*

R. Opera nostra bona, non quidem omnia, aut naturalibus solùm viribus elicita, sed talia quæ per supernaturalem Domini nostri JESU Christi Gratiam ponuntur & dignificantur, esse Merita augmenti Gratiæ & Gloriæ.

Q. *Quare?*

R. Quia nomine meritorum, nihil aliud intelligimus in præsenti, nisi opera talia, quæ per Gratiam Christi eliciuntur & dignificantur, habentque appromissam à DEO mercedem in Cælo. Porro hujusmodi opera dari inter homines, toties evidenter testatur Scriptura.

Q. *Utique Christus ait: Luc: 17. v. 10.* Cùm omnia feceritis, dicite servi inutiles sumus. *Igitur non debemus exigere Gloriam à DEO.?*

R. Totum hoc concedimus perlibenter: cùm enim ex nobis nostrisque operibus nullum jus ad Gloriam habeamus, eam exigere non valemus. Item quoniam Gloria æterna, ex sola DEI Misericordia nostris Operibus appromissa est, hæcque opera, non ex naturæ viribus, sed per Christi Gratiam redduntur digna promissionibus Divinis, ideo meritò, etiam postquam omnia bene fecerimus, dicere debemus,

mus, servi, quantùm ex nobis inutiles sumus: nec gloriari possumus, nisi fortè ita prout S. Paulus: *Non ego, sed Gratia DEI mecum.* 1.Cor: 15. v. 10.

§. 4.

Q. *Num Justificatio peccatoris fiat per Opera an verò Fidem?*

R. Justificationem formalem peccatoris, neque esse Fidem neque opera, sed Gratiam Domini nostri JESU Christi, Animæ infusam.

Q. *Potestnè peccator, strictè seu condignè, Operibûs suis hanc Gratiam justificantem mereri?*

R. Non potest: quia juxta S. Paulum ad Rom: 3. v. 24. *Gratìs justificamur per Gratiam Christi.* Postquam tamen gratìs justificatus est homo, poterit ope Gratiæ Divinæ mereri tam gratiæ sanctificantis, quàm Gloriæ augmentum, ut constat ex superiùs dictis.

Q. *Teneturnè homo ad præfatam Justificationem se disponere per actus suos?*

R. Omnino tenetur, & quidem per Fidem. Spem & Pænitentiam. *Accedentem enim ad DEum oportet primùm credere quia est, & quòd Remunerator sit,* ad Heb: c. 11. v. 6. Et: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Luc: 13. v. 3.

Q. *Sed S. Paulus ait:* Arbitramur justificarî hominem per Fidem sine Operibus Legis? *ad Rom: 3. v. 28.*

R. Sanctus verò Jacobus ait: *Hominem ex Operibus justificari.* c. 3. v. 20.

Q. *Quid inde colligitur?*

R. S. Paulum voluisse à Justificatione peccatoris præcisè excludere Opera ceremonialia Legis Mosaicæ, non autem pænitentiam, quam toties in Epistolis suis rigorosissimè exigit.

§. 5.

De Præceptis Ecclesiæ.

Q. *Num in conscientia obligemur Præcepta Ecclesiæ observare?*

R. Omnino: S. enim Paulus ait: *Subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Rom: 13. v. 5.

Q. *Quid hac de re Christus Dominus?*

R. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit me spernit.* Luc: 9. v. 10. Et: *Si non audierit Ecclesiam sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Mat: 18. v. 17.

Q. *Quid ex his inferimus?*

R. Eum, qui renuit observare Præcepta Ecclesiæ, DEO ejusque voluntati resistere, ac proinde graviter peccare.

Q. *Utique S. Paulus vult nos liberos esse, ad Rom: 6. v. 14.?*

R. Vult liberos esse à peccato, non autem ab observatione Legum Divinarum aut humanarum novi Testamenti.

Q. *Quot*

Q. *Quot sunt Præcepta Ecclesiæ?*

R. Præcipua numerantur 5. 1. Statutos Ecclesiæ dies Festos celebrato. 2. Sacrum Missæ Officium diebus Festis reverenter audito. 3. Indicta certis diebus jejunia, & à quibusdam cibis abstinentiam observato. 4. Peccata tua Sacerdoti proprio aut alteri cum ejus facultate singulis annis confitetor. 5. Sacrosanctam Eucharistiam, minimùm semel in anno, idque circa Festum Paschæ sumito.

§. 6.

De Jejunio.

Q. *Peccaretnè qui diebus jejunii carnes sumeret?*

R. Peccaret, qui id absque dispensatione Potestatis Spiritualis, vel extra gravem necessitatem aut circumstantiam morbi faceret: quoniam Christus ipse mandavit obedire Præceptis Ecclesiæ.

Q. *Habetnè Ecclesia potestatem prohibendi certos cibos?*

R. Habet: sicut etiam tempore Apostolorum habuerat potestatem prohibendi esum suffocatorum & sanguinis. Act: 5.

Q. *Qua de causa prohibet Ecclesia certis temporibus esum carnium?*

R. 1. Ut mortificato aliquantùm corpore, Anima faciliùs Spiritualibus deliciis impinguetur.

2. In memoriam fellis & aceti, quod Christo Domino tempore Passionis propinatum fuerat.

3. Ad Imitationem Christi, qui toties legitur in Evangelio, sive Apostolis, sive aliis hominibus, non carnes, sed pisces & panem apposuisse.

Q. *Quid S. Paulus de esu carnium?*

R. *Bonum est non manducare carnem.* Rom: 14. v. 21. Et: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* 1. Cor: 8. v. 13.

Q. *Quam igitur doctrinam præviderat in spiritu S. Paulus, fore diabolicam. 1. Tim. 3.?*

R. Marcionistarum & Manichæorum prohibentium ideo esum carnis & vini, quòd dicerent hæc à malo Deo seu diabolo creata esse.

Q. *Sed quod intrat per os non utique coinquinat animam?*

R. Verum est: nec etiam caro ipsa, quam tempore prohibito sumis, sed potius inobedientia tua coinquinat Animam.

Q. *Detur instantia?*

R. Sicut pomum illud in Paradiso non coinquinaverat Animam Adami sed potiùs inobe-

be-

bedientia ejus in ſumendo pomo de ligno vetito: nec pomum ideo erat prohibitum quaſi verò fuiſſet in ſe malum, ſed ob alias rationes. Ita etiam qui diebus jejùnii carnes ſumit, non carnibus ipſis ſed inobedientiâ ſuâ coinquinat Animam: nec hæ ideo prohibentur, quaſi eſſent, quid in ſe mali, ſed ob alias ſuperiùs dictas rationes.

Q. *Quando jejunandum?*

R. Tempore Quadrageſimæ: Singulis hebdomadis feria ſexta; & die Sabbathi, ſed ſolùm quoad abſtinentiam à carnibus: diebus 4. Temporum, aliisque quando jejunium ab Eccleſia indicitur.

Q. *Quare jejunamus Quadrageſimam?*

R. 1. Ut mortificatione hac ad recolenda Paſſionis & Mortis Chriſti Beneficia, præparemur.

2. Ut pro infirmitate noſtra, imitemur aliquomodo Chriſtum Exemplar noſtrum, qui etiam 40. diebus & noctibus jejunaverat.

Q. *Sed nos non poſſumus ita jejunare ſicut Chriſtus, qui ab omni penitus cibo abſtinuerat?*

R. Quia non poſſumus ſicut Chriſtus, igitur nihil penitus faciendum? Non poſſumus ſic amare DEum ſicut Chriſtus, igitur penitùs non amandus? faciamus quæ poſſumus, & ſaltem ab illis, qui magis nobis arrident, cibis hoc ſancto tempore abſtineamus.

Q. *Quis jejunium Quadrageſimale inſtituit?*

R. Ipſi

R. Ipsi Apostoli.

Q. *Quod fundamentum?*

R. Testantur id, Primitivæ Ecclesiæ SS. Patres, e. c. S. Hieronymus Epist. ad Marcellam: *Nos unam Quadragesimam secundùm Traditionem Apostolorum tempore congruo jejunamus.* Et S. Augustinus Epist 119. c. 15. id ipsum etiam Exemplis S Scripturæ confirmat dicens: *Quadragesima habet authoritatem in veteribus Libris & in Evangelio.*

Q. *Quam regulam universalem affert S. Augustinus, discernendi quidnam oretenus ab ipsis Apostolis traditum sit, etiamsi clarè & expressè in Scriptis eorum non reperiatur?*

R. Lib. 4. contra Donatistas c. 24. affert hanc: *Id quod in Ecclesia universa, omnibus retrò temporibus servatum est, meritò, ab ipsis Apostolis traditum esse creditur.* Et tale est Jejunium Quadragesimale, aliaque complura

Q. *Jejunium feriæ sextæ habetnè aliquod fundamentum in Scriptura?*

R. Habet: Mat: 9. v. 15. ait Christus: *Cùm auferetur ab eis Sponsus, tunc jejunabunt.* Porro Sponsus, id est Christus ablatus est feriâ sextâ.

Q. *Quodsi quis ægrè valeret cibos quadragesimales concoquere?*

R. Talis poterit licentiam edendi carnes à suo legitimo Pastore obtinere.

Q. *Quid respondendum iis qui objiciunt: ubi hoc DEus præcepit?*

R. Illud Christi Domini: *Qui non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Mat: 18. v. 17.

Q. *Quid iis qui Catholicos jejunantes irridere consueverunt?*

R. Illud S. Augustini Epist. 118. *Impudens temeritas est, ridere quod tota Ecclesia acceptat.*

Q. *Quid respondendum dum dicitur, à vitiis tantùm non ab esu carnium abstinendum esse?*

R. Quærendum, si tempore Apostolorum vixisses, num abstinuisses à Sanguine & Suffocatis juxta mandatum Apostolicum pro illo tempore latum? Si affirmativè responderit, urgendus est, cur igitur etiam nunc Ecclesiam audire nolit?

§. 7.

De Operibus bonis non præceptis, Consiliis Evangelicis & Votis.

Q. *Quid reponendum illis, qui ineptè argumentari assueverunt: hoc vel illud non est expressè præceptum in Scriptura, Ergo est prohibitum. E.c. Processiones, peregrinationes ad loca Sacra, Vota Religiosorum &c. non sunt expressè præcepta in Scriptura, Ergo sunt prohibita?*

R. Illationes hujusmodi, naturali recalcitrare lumini quòd dictat, non eo ipso aliquid esse prohibitum quoniam non est præceptum, cùm innumera nobis permittantur quæ tamen non

sunt præcepta. Utique non est præceptum in Scriptura, Cœnam Domini mane & jejunè, aut detractô galerô, sumere, igitur prohibitum ?

2 Evidenti Scripturæ refragari: utique 1. Cor. 7. v. 38. dicitur, non solùm bene sed & *meliùs facere qui matrimonio non jungit virginem*, id est in Cælibatu relinquit. Et, Mat. 19. v. 21. dicitur perfectiùs agere, qui *omnia quæ habet, dat pauperibus*. licèt talia non sint præcepta.

Q. *Utrum DEus opera bona, quæ absque præcepto, ex sola devotione, in DEI honorem facimus, e c. Orationes prolixiores, eleemosinas liberaliores, castigationes corporis, observantiam Religiosam, peregrinationes, processiones &c. &c. præmiare soleat in Cælo ?*

R. Omnino: Si enim Mat. 10. v. 42. Christus pollicitus est, dicens: *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem suam;* quomodò igitur multò præclariora opera in sui honorem facta, absque præmio relinqueret ?

Q. *Quæ sunt præcipua Consilia Evangelica ?*

R. Hæc tria: Voluntaria & Religiosa Paupertas, Castitas, & Obedientia.

Q. *Reperiunturnè ista in Scriptura S. ?*

R. Omnino: e. c. 1. de *Paupertate*, Mat: 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo, & sequere me*, inquit Christus. Et v. 29. *Omnis*

Omnis qui reliquerit Domum, vel Fratres, vel Uxorem, aut Patrem, Matrem, agros propter Nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.

2. De *Castitate*, Mat. 19. v. 10. 11. *Dicunt Ei Discipuli ejus, si ita est causa hominis cum Uxore, non expedit nubere: qui dixit illis, non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Et v. 12. *Qui potest capere capiat.* Et 1. Cor. 7. v. 25. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do - quoniam bonum est homini sic esse - noli quærere uxorem &c.*

3. De *Obedientia*, quæ homini propter DEum exhibetur, ad Hebræ: c. 13. v. 17. *Obedite Præpositis vestris & subjacete illis.* Et 1. Petri c. 5. v. 1. *Subditi estote Senioribus.*

Q. *Tenemurnè hæc Consilia Evangelica observare?*

R. Non tenemur, cùm non sint Præcepta, sed solùm Consilia. Qui tamen talia DEO liberè voverunt, hi ad observationem eorum gravissimè Præceptô Divinô obligantur.

Q. *Ad quid nobis prosunt hæc Consilia?*

R. Ut vitam æternam securiùs & abundantiùs habere valeamus.

Q. *Estnè acceptabile DEO, id vovere quod est bonum imo perfectius?*

R. Procul dubio: & ideo monet Propheta Psal. 76. v. 12. *Vovete & reddite Domino DEO vestro.*

Q. *Utquid igitur à nonnullis, Votorum Religiosorum transgressio laudatur?*

R. Quam-

R. Quamdiu mundus ſtat, nulla ante hos Natio inventa eſt, quæ laudâſſet illum qui jusjurandum DEO & hominibus factum transgreditur.

CAPUT QUARTUM.

De Sacramentis.

§. 1.

De Sacramentis in communi.

Q. *Quid eſt Sacramentum?*

R. Eſt ſignum ſenſibile Gratiæ inſenſibilis' ad noſtram ſanctificationem à Chriſto inſtitutum.

Q. *Quare Chriſtus ſigna ſenſibilia, quibus Gratiæ dona conſequamur inſtituit?*

R. Rationem affert S. Chryſoſtomus Homil. 83. in Mat. *Si incorporeus eſſes, incorporea tibi dediſſet ipſe dona, nunc autem quoniam conjuncta eſt Corpori Anima tua, ſub ſenſibilibus, tibi intelligibilia tradit.*

Q. *Quot ſunt Sacramenta?*

R. Septem: videlicet 1. Baptiſmus. 2. Confirmatio. 3. Euchariſtia. 4. Pænitentia.

nitentia. 5. Extrema unctio. 6. Ordo. 7. Matrimonium.

Q. *Quod fundamentum 7. dari Sacramenta?*

R. Quoniam 7. dantur signa sensibilia à Christo instituta, ad causandam in nobis Gratiam suam, ut postea in particulari videbimus.

Q. *Cur septem instituta sunt Sacramenta?*

R. Sicut enim homini in vita corporali, septem potissimùm necessaria sunt, ita & in Spirituali. E. c. 1. Indiget generatione, augmento & nutritione: sic etiam in ordine ad vitam spiritualem Animæ, datur *Baptismus* per quem spiritualiter vivere incipit, seu regeneratur; *Confirmatio* per quam augetur & roboratur hæc Vita; & *Eucharistia* per quam nutritur.

2. Indiget homo medicinâ ex suppositione morbi contracti, item bona tractatione qua reliquiæ morbi penitùs tollantur. Sic etiam in vita Spirituali datur *Pœnitentia*, & *Extrema unctio.*

3. Comparatè ad Communitatem, naturaliter homo adhuc duobus indiget, nimirum Potestate Jurisdictionis, qua alii regantur, & virtute generativa qua conservetur Communitas. Sic etiam datur in Vita Spirituali Animæ, *Ordo*, per quem accipitur Potestas spiritualis ad subveniendum populo; & *Matrimonium* quo confertur Gratia ad rectè & Christianè educandam prolem.

Q. *Causantnè ipsa Sacramenta, virtute ex Meritis Christi accepta, Gratiam DEI sanctificantem?*

R. Ita est: id enim toties testatur Scriptura: e c. Ephe: 5. *Mundans Animam lavacrô aquæ.* Et Joan: 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et Act: 8. *Per impositionem manuum dabatur Spiritûs S. Gratia.*

Q. *Solemusnè præter Gratiam sanctificantem etiam alia dona consequi per Sacramenta?*

R. Omnino: Et sic in *Baptismo* consequimur specialia DEI auxilia ad servandam Legem Christi, & reliqua Sacramenta dignè suscipienda. In *Confirmatione* auxilia ad constanter & firmiter confitendam Fidem. In *Eucharistiâ*, auxilia ad actus charitatis, devotionis, omnisque generis Virtutum, In *Pænitentia*, ad vitandas occasiones peccandi. In *extrema Unctione*, ad resistendum tentationi Diabolicæ. In *Ordine*, ad sanctè & religiosè exercendas actiones sacras. In *Matrimonio*, auxilia ad charitatem & concordiam conjugalem, bonamque Prolis educationem.

Q. *Potestnè Papa aut Ecclesia instituere aliquod Sacramentum?*

R. Non potest: quia per Sacramentum confertur Gratia DEI, quam nullus purus homo propria authoritate aliis conferre valet.

Q. *Quare Sacramenta præsertim quoad substantialia, latino Idiomate administrari solent?*

R. Propter uniformitatem; ac etiam in ordine

dine ad Authoritatem tantis Mysteriis apud populum conciliandam. Interim tamen hæc etiam vulgari Lingua, populo explicare consuevimus.

§. 2.

De Ceremoniis & Benedictionibus Ecclesiæ.

Q. *Quam ob causam solet Ecclesia ritus & ceremonias in administratione Sacramentorum adhibere?*

R. 1. Ut Fideles adstantes ad devotionem, & vivacem Mysteriorum DEI apprehensionem excitentur.

2. Propter reverentiam Sacramentorum, cùm enim sint signa sensibilia, facilè à rudibus vilipenderentur, nisi per ceremonias ad sensibilem aliquam Majestatem eveherentur.

Q. *Quid sunt Ceremoniæ?*

R. In re sunt, partim Orationes Ecclesiæ ad DEum, partim adhibitio quarundam rerum sensibilium in cultum DEI, e. c. aquæ benedictæ, olei, sacrorum vestimentorum &c. de qualibus frequenter in Scriptura. E. c. Num: 5. v. 17. Exodi 29. v. 29. Exodi 30. v. 25. &c.

Q. *Quare benedicimus creaturas, cùm hæ bonæ sint, e. c aquam, oleum, cereos &c.?*

R. Ut usus quoque earum sit nobis cum benedictione Divina proficuus, atque à Diaboli fraudibus immunis.

Q. *Quid sunt Benedictiones?*

R. Sunt Verbum DEI, & Orationes Ecclesiæ, quibus Divina Benedictio imploratur.

Q. *Quid hac de re Scriptura?*

R. S. Paulus ait; *Omnis creatura bona est, sanctificatur enim per Verbum DEI, & Orationem.* 1. Tim. 4. v. 5.

Q. *Quid Primitiva Ecclesia Christi de aqua benedicta?*

R. Cyrillus Catech: 3. inquit: *Sicut mundi cibi fiunt immundi invocatione Diaboli, ita aquam simplicem fieri Sanctam invocatione DEI.*

§. 3.
De Baptismo.

Q. *Quid est Baptismus?*

R. Est primum Sacramentum novæ Legis quo spiritualiter renascimur, & peccatorum plena remissione obtenta, in Filios DEI adoptamur.

Q. *Quid de Baptismo Scriptura S.?*

R. *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* &c. Marci 16. v. 15.

Q. *Cur etiam infantes, qui nondum credere valent, baptizantur?*

R. Quia sic nobis oretenus traditum est ab ipsis Apostolis, siquidem Christus Dominus Joan; 3. v. 5. irrestrictè monuerat; *Nisi quis renatus*

natus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI.

Q. *Potestnè iterari Baptismus?*

R. Si semel validè susceptus est, non potest absque gravi offensa DEI: *Unus DEus, una Fides, unum Baptisma.* Ephe: 4. v. 5.

§. 4.

De Confirmatione.

Q. *Quid Confirmatio?*

R. Est Sacramentum quo Baptizatis confertur Gratia Spiritûs S. & robur, tum ad firmiter credendum, tum ad Fidem suam strenuè confitendum.

Q. *Sacramentum hoc, estnè omnino necessarium ad salutem?*

R. Non est quidem omnino necessarium, multùm tamen utile est.

Q. *Ubi de Eo in Scriptura?*

R. Act: 8. mittebantur Apostoli ut Baptizatis per impositionem manuum, novam Gratiam Spiritûs S. conferrent: *Nondum enim in quenquam eorum venerat, sed baptizati tantùm erant in Nomine Domini JESU.* Et v. 19. *Tunc inponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum S.*

Q. *Sed eratnè hoc, Sacramentum?*

R. Procul dubio; erat enim signum sensi-

bile (nimirum impositio manuum) per quod dabatur invisibilis Gratia Spiritûs S.

Q. *Quando Christus hoc Sacramentum instituit?*

R. Censendum: quòd tunc dum Apostolis Potestatem Episcopalem conferret, post Resurrectionem suam.

§. 5.

De Sacrosancta Eucharistia.

Punctum 1.

De reali Præsentia Christi sub speciebus panis & vini.

Q. *Ad quid institutum est à Christo hoc Sacramentum, ejusque usus & Communio?*

R. In memoriam Passionis & Mortis suæ, in augmentum Gratiæ & donorum suorum, in contestationem ineffabilis amoris sui erga nos homines, vi cujus voluerat, quamvis modo invisibili (ut Fides quoque locum haberet) manere apud suos Fideles usque ad consummationem seculi. Mat: 28. v. 20.

Q. *Quid est in hoc Sacramento Altaris?*

R. Est verè realiter Corpus & Sanguis, procul dubio cum Anima & Divinitate Domini nostri JESU Christi.

Q. *Quod fundamentum?*

R. Veritas hæc constat nobis ex evidenti Scriptura omniun 4. Evangelistarum, & S. Pauli,

li, atque Testimonio omnium SS. Patrum totius Ecclesiæ Christi, ab Initio ad hæc usque tempora.

Q. *Afferantur aliqui Textus ex Scriptura?*

R. *Accipite & manducate, hoc est Corpus meum*, scribit Mat. c. 26. v. 26. *Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis effundetur*, scribit Marcus 14. v. 24. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem*, scribit Lucas 22. v. 10. *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Et: *Panis quem ego dabo Caro mea est pro mundi vita*, scribit Joannes 6. v. 50. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonnè communicatio Sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonnè participatio Corporis Domini est?* scribit Paulus 1. Cor: 10. v. 16.

Q. *Possetnè quis cum Calvino dicere, Christum nomine Corporis & Sanguinis sui, intellexisse solùm signum & figuram Corporis & Sanguinis sui?*

R. Nullatenus rectè. 1. Ideo, siquidem Christus ipse, ne fortè vel locus dubitandi superesset, expresse adjecit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur, hic est Sanguis meus, qui pro vobis effundetur.* Porro non signum & figura, sed verum ejus Corpus traditum, & verus Sanguis effusus est.

2. Quoniam hæc nobis per modum ultimi Testamenti reliquit; quis igitur persuadere sibi poterit, Christum in talibus circumstan-

tiis, solis signis & figuris uti voluisse? Quomodo ille Pater pius, ac prudens censendus, qui morti proximus, per ultimum Testamentum profiteretur se Filiis suis relinquere Arcam Aurô plenam, in re autem solum aurichalcum, signum & figuram auri relinqueret?

3. Quia S. Paulus ait 1. Cor. 10. *Quicunque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Si autem in Sacramento Altaris sola esset figura Corporis Domini, tunc nemo, indignè accedens ad Eucharistiam, esset reus Corporis & Sanguinis Domini. Sicut, quia agnus est solùm figura Christi, ideo ille qui occidit, aut indignè agnum tractat, non facit injuriam ipsi Christo, nec reus est Corporis & Sanguinis ejus.

4. Quoniam Joan. 6. v. 53. cùm dubitarent Judæi de Potentia Christi, dicentes: *Quomodo hic potest nobis dare carnem suam ad manducandum?* non respondit Christus, se solùm loqui de signo & figura Corporis sui (quo dicto facilè omnem litem & dubitationem dirimere potuisset) sed adhibitô Juramentô subjunxit: *Amen, Amen dico vobis, nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Q. *Quare tamen Christus eodem capite v. 63. ait:* Caro non prodest quidquam?

R. Evidens est, Christum hoc dicto non in-

intellexisse Carnem suam sanctissimam (cùm Eam immediatè asseruerit esse *pro Mundi vita*) sed locutum fuisse de carnalibus Judæorum cogitationibus, imaginantium sibi, Christum præcipere, Carnem suam frustatim sub carnali forma manducandam: & tales cogitationes dicit minimè valere ad hoc Mysterium credendum.

Q. *Quid hac de re primitiva Ecclesia?*

R. Omnes, quotquot fuerant in Ecclesia Christi SS. PP. & Doctores, uno ore, omnibus seculis, veram realem Corporis, & Sanguinis Christi præsentiam, in Eucharistia, confessi sunt.

Q. *Citentur aliqui de primitiva Ecclesia?*

R. S. Cyprianus ser: de Cæna Domini, ait: *Panis iste, quem Dominus Discipulis suis porrigebat, non effigie sed naturâ mutatus est, omnipotentiâ Verbi factus est caro.* Et S. Damascenus lib. 4. c. 14. de Fide. *Dominus dixit, hoc est, non Corporis signum sed Corpus, non Sanguinis signum, sed Sanguis.* Et S. Augustinus Conc: 1. in Psal. 33. *Christus ferebatur in manibus suis, quando dixit, hoc est Corpus meum.* Et S. Ambrosius de Sacram: l. 4. c. 4. *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit Caro Christi.* Et S. Cyrillus Hierosol: Cate: Mysta: 4. *Cùm igitur ipse de pane dixerit: Hoc est Corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? & cùm idem ipse tam asseveranter dixerit: Hic est*

Sanguis meus, quis unquam dubitaverit, ut dicat, non esse ejus Sanguinem?

Q. *Quid significat, (ut quidam loquuntur) per solam Fidem, sumendum esse Corpus Christi?*

R. Nesciunt quid loquantur: quid hoc: *per Fidem sumere?* An credere quòd detur realis præsentia Christi in Sacramento? Ergo pro priori dari debet. Vel credere in Christum? Sed utique Calviniani in Christum credunt, etiam tunc dum Domi suæ epulantur, Ergonè ideo Cænam Domini sumunt?

Q. *Ubi itaque habetur verum Corpus & verus Sanguis Christi sub speciebus panis & vini?*

R. In Ecclesia Catholica, hìc enim veri, & ab Episcopis legitimè ordinati habentur Sacerdotes, qui valeant hoc Sacramentum conficere.

Q. *Quid ex hactenus dictis colligitur?*

R. 1. Eos, qui vera reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento Altaris destituti sunt, infelicioris esse conditionis, quàm olim Hebræi in deserto: his enim admirabile illud præstantissimumque olim dabatur Manna; illis verò vulgaris panis.

2. Non verificari de illis, quod Christus suis pollicitus est. Joan: 6. v. 58. *Non sicut manducaverunt Patres vestri Manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

):(***):(

Pun-

Punctum 2.

Utrum in Sacramento Altaris detur impanatio; vel ſeparatio Sanguinis à Corpore Chriſti?

Q. *Exiſtitnè Corpus Chriſti in pane? an verò tota ſubſtantia panis mutetur in Corpus Chriſti?*

R. Tota perit ſubſtantia panis per Conſecrationem, & mutatur in Corpus Chriſti, ſolæque manent ſpecies panis, videlicet odor, ſapor, color &c. idem cenſendum de ſpeciebus vini.

Q. *Quare?*

R. Non enim dixerat Chriſtus, hìc & in hoc pane eſt Corpus meum, ſed: *Hoc eſt Corpus meum* Sicut etiam in Cana Galilææ, uon continebatur vinum in aqua, ſed aqua mutata eſt in vinum.

Q. *Quid ſentiunt hac de re primitivæ Eccleſiæ Patres?*

R. Omnes ſic Scripturam intelligunt. E. c. S. Ambroſius l. 4. de Sacr: c. 4. *Panis iſte panis eſt ante verba conſecrationis, ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit Corpus Chriſti.* Plura etiam hac de re habentur Teſtimonia puncto præcedente.

Q. *Quare tamen dicitur panis?*

R. Non qualiscunque panis dicitur, ſed *panis qui de Cælo deſcendit*, id eſt Filius DEI ſub ſola extrinſeca panis ſpecie.

Q. De-

Q. *Declaretur hoc in Exemplo?*

R. Sicut Angeli qui Abrahamum invisεrant, dicti sunt tres Viri, eò quòd externam Viri formam assumpsissent; ita Christus in Eucharistia dicitur panis, ratione formæ extrinsecæ panis.

Q. *Daturnè sub specie panis non solùm Corpus, sed & Sanguis Christi? item sub specie vini, tam Sanguis, quàm Corpus Christi?*

R. Omnino: cùm sub specie panis idem numerô Corpus sumamus, quod ad Dexteram DEI sedet: porro hoc exsangue non est. Et nefas esset dicere, Christi Corpus post Resurrectionem separari à sanguine & mori posse.

Q. *Quid hac de re Scriptura?*

R. *Christus, postquam semel mortuus, & resurrexit, jam non moritur,* inquit S. Paulus ad Rom: 6. v. 3. *Nec solvitur*, Joan: 1. Epist. c. 4. v. 3. Esset autem mortuus & solutus in Eucharistia, si sub specie panis, solùm Corpus absque Sanguine; & sub specie vini, solus Sanguis absque Anima & Corpore existeret.

Q. *Declaretur id in Exemplo?*

R. Quemadmodum in duabus Hostiis non dantur duo Corpora Christi, sed unum idemque, nec in majori Hostia plus sumitur, quàm minori; ita etiam, æque sub specie panis est totus vivus Christus cum Corpore & Sanguine, ac sub specie vini: nec plus sumitur sub utraque specie, quam sub una.

Q. *Quid*

Q. *Quid hinc colligitur ?*

R. Eos multùm delinquere, qui nobis improperant, dicentes: populum nostrum non sumere Christi Sanguinem: quasi verò sub specie panis, Corpus exsangue & mortuum dari posset.

Punctum 3,

De Adoratione Christi in Eucharistia, Processionibus, ac præsentia Ejus ante usum.

Q. *Estnè Christus adorandus in Eucharistia ?*

R. Proculdubio est, cùm Lex Divina & Naturæ, urgeat: *Dominum DEum tuum adorabis.*

Q. *Rectène Processiones, quibus Sanctissimum Sacramentum publicè colitur & circumfertur, instituuntur ?*

R. Omnino rectè: si enim laudabiliter olim ab Apostolis instituta fuerat Processio, dum Christus sedens in asina, publico applaudente concentu, Jerosolimam ingrederetur: Si rectè egerat David, similem instituendo Processionem cum Arca fæderis, in qua Manna illud, admirabilis nostri Sacramenti figura (ut ipse Dominus Joan: 6. testatur) asservabatur; quis igitur ambigere poterit, num etiam à nobis, solennitates hujusmodi, rectè instituantur?

Q. *Rectène agimus, publicè genu flectendo coram Venerabili Sacramento ?*

R. Abs-

R. Abſque dubio: ſi enim, *in Nomine JESU omne genu flectendum Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum;* multò magìs coram ipſo Domino JESU realiter præſente.

Q. *Sed num re vera Chriſtus præſens in Euchariſtia ante uſum?*

R. Infallibiliter eſt: aliàs enim æterna Veritas, Omnipotenti Verbo ſuo non dixiſſet verum.

Q. *Quare?*

R. Dixerat enim: *Hoc eſt Corpus meum,* ànte ſumptionem, priusquam omnes & ſinguli Apoſtoli de conſecrato illo pane participâſſent: igitur, ſi Verbum ejus Divinum verum erat, neceſſariò ſub ſpeciebus panis Corpus Chriſti adeſſe debuerat ante ſumptionem.

Q. *Quid de hoc primitiva Eccleſia?*

R. In antiquiſſimis Patribus & Scriptoribus legimus, Sacramentum hoc in primitiva Eccleſia, cum ſpeciali reverentia per multos poſt Conſecrationem dies, aſſervatum fuiſſe. E. c. S. Cyrillus in Epiſt. ad Galloſyniam ait: *Inſaniunt, quicunque aſſerunt, Euchariſtiam, ſi in alterum diem aſſervetur, vim ſuam amittere.*

Q. *Quid ex dictis infertur primò?*

R. Negantes præſentiam Chriſti in Euchariſtia, extra uſum, evidenti Scripturæ refragari: non enim dicit Scriptura, hoc erit Corpus meum in veſtro ore, ſed, *hoc eſt Corpus meum*

Q. *Quid*

Q. *Quid infertur secundò?*

R. Eos Omnipotenti Verbo Christi multum derogare: si enin in creatione Cæli & terræ, ad unicum DEI Verbum, *Fiat*, derepente, & absque ulla intermediante mora, tota Mundi machina producta est, cur igitur prolatîs hisce Verbîs: *Hoc est Corpus meum*, adhuc humana sumptio expectanda esset?

Q. *Quid infertur tertiò?*

R. Eos plus efficaciæ humano ori, quàm Omnipotenti DEI Verbo deferre.

Q. *Quid hic summopere mirandum?*

R. Reperiri Christianos, qui unicè propter quorundam suorum Ministrorum opinionem, negantem in Eucharistia præsentiam Corporis Christi extra usum, opinionem inquam evidenter Scripturæ recalcitrantem, nullôque penitus fundamentô, sed solâ contradicendi licentiâ nixam, resolvunt sese ad DEum adeo graviter offendendum, nec non Christianam lædendam charitatem, asserendo videlicet, Catholicos in Sacrificio Missæ, & Processionibus cum Corpore Christi, idololatriam exercere, ideo quòd Christum DEUM in Eucharistia adorent.

Q. *Rectène agunt Potestates seculares, dum convicia hujusmodi severè castigant?*

R. Omnino: 1. Quoniam gravissima adversus Christum blasphemia committitur, dum Adoratio, ipsi Christo Domino secundùm veram

veram Fidem exhibita, idololatria appellatur.

2. Siquidem hi pauculi, omnes Romano-Catholicos tam enormi contumeliâ afficiunt, & quidem præcisè ideo, quòd arbitrariæ suæ insistentes opinioni, in ore primùm sumentis, Corpus Christi, nescio quomodo fabricari existiment.

Q. *Idemnè sentiendum de illis rudioribus, qui tempore publicæ cum Corpore Christi Processionis, galerum detrahere, aut assurgere reluctantur?*

R. Idem.

Q. *Sed hi non credunt præsentiam Christi in Sacamento, extra usum?*

R. Si quis ex Hebræis, qui obstinatè non credunt in Christum, solam Christi effigiem, contumeliîs aut irreverentiâ aliqua publicè afficeret, utique ab ipsis puniretur Dissidentibus. Ergo millies à fortiori, plectendus ille, qui ipsum Dominum nostrum JESUM Christum irreverentiâ afficit, ideo, quòd præsentiam ejus extra usum, neget pervicaciter.

Q. *Si quis dicat, Christum adesse in hoc Sacramento, ut sumatur, non verò ut adoretur?*

R. Id non rectè dici: Si enim adest Christus, jam, universale DEI & juris naturæ præceptum, *Dominum DEUM tuum adorabis*, omnes obligat.

Q. *Quid ex præfato asserto sequeretur?*

R. Tale inconveniens: Christus non ideo

jacuit

jacuit in præsepio ut adoraretur: Ergo tres Reges adorantes Eum, non rectè egerunt. Christus non ideo visum restituit Cæco, ut se adoraret, igitur cæcus erravit, quòd coram Domino in genua prociderit?

Punctum 4.

De Communione sub una specie.

Q. *Satisnè Eucharistiam sub una tantùm specie, videlicet panis, sumere?*

R. Satis: & quidem ideo, 1. Quoniam sub specie panis, totum vivum & integrum Christum, cum Corpore & Sanguine, Anima & Divinitate sumimus, & omnino tantum, quantum si calicem præterea biberemus.

2. Quia nullibi Christus præcepit, omnino sub utraque specie communicandum esse, sed liberum Ecclesiæ suæ reliquit, Sacramentum hoc sive sub una, sive sub duplici specie, quomodo sibi pro circumstantiarum exigentia, fore commodius & congruentius videbitur, dispensare.

3. Siquidem etiam in primitiva Ecclesia ac tempore Apostolorum, contenti fuerant homines una specie.

Q. *Unde quòd sub una specie, tantum sumatur quantum sub utraque?*

R. Quoniam sub specie, v. g. panis, idem numerô vivum Corpus sumitur, quod sedet

ad Dexteram DEI Patris, nec sine Sanguine est, ut pleniùs ostensum Punctô 2.

Q. *Quid inde colligitur?*

R. Ineptè à qubusdam adduci contra nos illam Scripturam, Joan: 6. v. 53. *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* cùm certum sit, nec ab ipsis moderatioribus Diffidentibus negabile, sub specie panis, etiam Christi Sanguinem, non verò exanime aut exsangue Corpus, sumi.

Q. *Quare adhuc ineptè?*

R. Quoniam plurimi Pastorum contradicentium (licèt omnino non rectè) docent, totum hoc Joan. 6. caput, non de Communione, sed solùm de Fide intelligendum esse.

Q. *Sumere Christi Sanguinem sub specie panis, utique non est bibere?*

R. 1. Imaginationem nimis profanam esse, existimare, Sanguinem Christi, non aliter bibi posse, nisi quemadmodum potum quemcunque alium, de calice aut amphora haurire consuevimus.

2. Ipsum Dominum abundè declarâsse, Sanguinem suum pretiosissimum, sufficienter sub specie panis bibi posse: cùm eodem cap. 6. aliquot vicibus, e.c. v. 35. 48. 50. 51. solius speciei panis expresse mentionem fecerit, atque sub hac specie communicantibus, vitam æter-

æternam appromiserit. E. c. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Q. *Quare superiùs dictum est, nullum dari Præceptum communicandi sub utraque specie, cùm tamen Mat: 26. habeatur :* Bibite ex eo omnes?

R. Nullum hìc denotari Præceptum sumendi calicem, & quidem omnibus hominibus datum; verùm omnes solùm protunc præsentes Apostolos monitos fuisse, dividerent hunc unicum à Christo consecratum Calicem inter se, ita ut nemo solus, aut duo vel tres (quod aliàs facilè contingere potuisset) calicem illum penitus exhaurirent, sed omnes quotquot præsentes aderant, paululum de Eodem participarent.

Q. *Quod fundamentum sic explicandi Scripturam?*

R. 1. Quoniam etiam reliqui Evangelistæ Cænam Domini describentes, hoc modo præfatum Matthæi Textum interpretantur. Lucas ait c. 22. v. 17. *Et accepto Calice gratias egit & dixit: accipite & dividite inter vos.* Marcus verò c. 14. v. 23. *Et accepto Calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes.* Qui omnes? Omnes Fideles? Non: sed solùm omnes Apostoli, quibus, ut refert Matthæus, dictum est: *Bibite ex eo omnes.*

2. Si Christus per hæc verba, *Bibite omnes*, voluisset præceptum pro omnibus hominibus denotare, utique vocem hanc, *omnes*, etiam pe-

nes speciem panis apposuisset: ast nullibi legimus, *comedite omnes.* Unde denuo clarè colligitur, prædicta verba, *Bibite omnes,* non præceptum aliquod universale, sed solam præcisè divisionem ejusdem numerô calicis, ab Apostolis instituendam, denotâsse: quam divisionem siquidem Christus ipse (benedicens & frangens) circa speciem panis, instituerat, ideo non adjecit, *comedite omnes.* En quid Scripturæ conformius?

3. Siquidem Ecclesia Romana Catholica (cui Joan: 14. v. 16. appromissa Spiritûs S. assistentia: quæ adeo firmiter Mat. 16. v. 18. supra petram fundata est, ut ne quidem à portis inferi debellari, seu, quod idem est, in errorem prolabi queat) hæc inquam Ecclesia, per tot secula, tot sapientissimorum atque piissimorum Virorum millibus referta, tot argumentîs, imo ipsorum reliquorum Evangelistarum Testimoniô suffulta, sic præfatum Matthæi Textum interpretatur & intelligit. Quis igitur tranquillâ conscientiâ persuadere sibi poterit, Ministros oppositos, Scripturam hanc meliùs intelligere?

Q. *Pastores, qui huic Ecclesiæ interpretationi subscribere renuunt, aguntnè inconsequenter?*

R. Omnino: 1. Sequuntur enim Ecclesiæ Catholicæ interpretationem, ubi docet, non oportere pedum lotionem, Cænæ Domini præmittere, quamvis hac de re Christus ipse dixerit:

xerit: *Exemplum dedi vobis, ut & vos ita faciatis.* Joan. 13. v. 14. Circa alios verò Textus, e. c. illum Matthæi: *Bibite ex eo omnes*, idem facere, omnino reluctantur.

2. Nullus etiam Diffidentium, vel notitiam habere posset certam, Sacramentum Altaris re vera institutum esse à Christo, nisi hac in parte, Romanæ Catholicæ Ecclesiæ Traditionem, veluti infallibilem acceptaret, nimirum quòd, quæ in Evangelio reperiuntur, defacto ab ipsis Apostolis conscripta, verumque DEI Verbum sint; (à Catholicis enim Scripturam S. acceperunt) sensum tamen & interpretationem verborum Evangelicorum, ab eadem Ecclesia acceptare recusant.

Q. *Sanctus tamen Paulus 1. Cor. 11. v. 25. testatur, Christum dixisse:* Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. *Et v. 27.* Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.?

R. Ubi hìc vel umbra Præcepti, bibendi Calicem? quin imo, ex his ipsis verbis, *quotiescunque bibetis*, item, *vel biberit Calicem Domini*, luculenter colligitur, non dari præceptum, omnino bibendi Calicem.

Q. *Saltem colligitur, S. Paulum dispensâsse hoc Sacramentum sub utraque specie?*

R. Demus, quòd ipsis Corinthiis ita distribuerit, quid tum? ideonè præceptum omni-

bus hominibus impositum? Utique Act: 2. v. 42. ab aliis Apostolis etiam sub sola specie panis collatum esse legimus: *Erant perseverantes in Doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis.* Nulla hic fit mentio calicis: nefas quoque foret, aliquid pro libitu, Verbo Divino superaddere.

Q. *Sed Paulus citato Cap: v. 23. ait:* Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus JESUS in qua nocte tradebatur &c. ?

R. Quid inde? utique etiam reliqui Apostoli id ipsum à Domino acceperant. Verbô, evidens est, Paulum in præsenti nihil aliud dicere, nisi quòd Cænæ Dominicæ Institutionem revelatam sibi à Domino, Corinthiis referat atque communicet. Nullibi tamen docet, Præceptum sibi aliquod sumendi calicem, omnes concernens homines, revelatum fuisse à Domino.

Q. *Quod fundamentum, Fideles etiam in primitiva Ecclesia, imo tempore Apostolorum (sicut ab initio innuimus) sola specie panis contentos fuisse?*

R. 1. Ex Act: Apostolorum c. 2. v. 42. *Erant perseverantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Et c. 20. *Unâ autem Sabbathi, cùm convenissemus ad frangendum panem.* Imo Christus ipse Luc. 24. v. 30. duos illos Discipulos in Emaus, sola specie panis, salutariter refecerat.

2. Ex

2. Ex antiquissimis SS. primitivæ Ecclesiæ Patrum testimoniis. E. c. Paulinus in vita S. Ambrosii scribit: *Eum ante obitum sub una specie suscepisse Eucharistiam.* Et Cyprianus ser: de lapsis testatur: *Asservatam olim fuisse Eucharistiam sub specie panis in usum infirmorum & aliò abeuntium.* &c.

Q. *Quare tamen Gelasius Papa præceperat, Calicem omnibus Fidelibus porrigendum?*

R. Ut occulti Manichæi, faciliùs à Catholicis discerni potuissent; Manichæi enim abhorrebant vinum, arbitrantes, à malo DEO aut diabolo productum esse.

Q. *Quam causam, profligatis jam Manichæis, Ecclesia habuerat, quòd denuo uniformem sub una specie communicandi modum statuerit? aut cur potiùs speciem vini non determinaverat?*

R. 1. Ad avertendam Sacramenti irreverentiam, id ordinatum esse: cùm enim rudes & villani in magna frequentia ad Cœnam Domini confluere assueverint, vix caveri potuisset, ne complures guttæ Sanguinis Christi in terram defluerent, mento, barbæ, atque linteolis affunderentur, aut quidpiam de spumantibus labris, quo in adstantibus nausea crearetur, in calicem promanaret.

2. Quoniam in multis Regionibus vinum non habetur, & vix tantum aliunde comportari potest, quantum pro Sacrificio Missæ sufficiat.

3. Propter multos infirmos, aliosque, qui nec odorem vini sustinere valent.

4. Quòd reperiantur hujusmodi, qui arbitrantur, utramque speciem de præcepto communicandi esse.

Q. *Quare nihilominus Catholicorum Sacerdotes sub utraque specie communicant?*

R. Eos, tunc nonnisi sub utraque communicare, dum Missæ Sacrificium, juxta Domini Mandatum, Apostolis, eorumque Successoribus impositum, Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*, actu celebrant. Tali enim modo, cruentum illud in cruce Sacrificium, Sanguinisque effusio, faciliùs adumbratur, & in memoriam revocatur.

Extra tamen Sacrificium, omnes Presbyteri, imo Episcopi, ipseque Papa, etiam lethali affixi strato, sub sola specie panis, hoc Sacramentum percipiunt.

Q. *Quid sentiebat Lutherus de Communione sub una specie?*

R. Anno 1522. postquam jam palam restitisset Papæ, Tom. Ger. 2. Jen. expressè docuit: *Si veneris ad locum ubi una solum species distribuitur, sume unam, prout alii faciunt.*

Q. *Sed An: 1526. Tom: 3. Ger. Jen. id ipsum postea reprobavit, utramque speciem suis præcipiens?*

R. Verum est: nihilominus eodem loco immediatè subjungit: *Si contingeret, utramque speciem à Concilio aliquo permitti, tunc nos in con-*

tem-

temptum Concilii, unam ſolummodo ſumeremus, illos execrando, quicunque utraque uſi fuerint. Unde colligitur, nec Lutherum ipſum, Præceptum aliquod Divinum communicandi ſub utraque ſpecie, agnoviſſe.

Q. *Quis hosce Lutheri Tomos Typis mandavit?*

R. Ipſimet Doctrinæ ſuæ Miniſtri, An: 1573.

Q. *Quid inde colligimus?*

R. Paſtores, quos vocant Evangelicos, pro utraque ſpecie, ſolùm ad ſpeciem zelare.

Punctum 5.

De Præparatione ad S. Communionem.

Q. *Qualis præparatio Communioni præmittenda?*

R. 1. Tenetur homo emundare conſcientiam ſuam. 2. Expedit quoque, ut in variis devotionis affectibus & Virtutum actibus ſe exerceat.

Q. *Obligaturnè confiteri priùs peccata ſua?*

R. Obligatur, ſi mortalis culpæ ſibi concius eſt: proinde S. Paulus, 1. Cor. 11. v. 28. *Probet autem ſeipſum homo,* &c.

Q. *Quales Virtutum actus ante Communionem eliciendi?*

R. Actus Fidei de vera reali præſentia Domini noſtri JESU Chriſti, ſub ſpeciebus Euchariſticis; Spei, Contritionis, Doloris de peccatis, Adorationis, Amoris, Humiliationis ſui,

Desiderii &c. aliique hujusmodi, ut habentur in libellis precatoriis.

Punctum 6.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio.

Q. *Quid est Missa?*

R. Est Sacrificium verum & proprium novæ Legis, in quo sub specie panis & vini, Corpus & Sanguis Domini nostri JESU Christi, æterno Patri offertur.

Q. *Quis primam Missam celebravit?*

R. Christus ipse, dum eam in ultima Cæna instituit, suisque Discipulis celebrandam præcepit illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. v. 19.

Q. *Quod fundamentum, Christum in ultima Cæna, non solùm panem & vinum convertisse in Corpus & Sanguinem suum, verùm etiam Corpus & Sanguinem sub speciebus panis & vini, obtulisse æterno Patri pro peccatis totius mundi, seu, quòd idem est, oblationem & Sacrificium protunc celebrâsse?*

R. 1. Dixerat enim citato capite: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Igitur hoc Corpus debebat obtulisse æterno Patri.

2. Quoniam Christus ad Hebræ: c. 7. v. 17. dicitur: *Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Porrò Sacrificium Melchisedech in oblatione panis & vini consistebat. Ut habetur Gen: 14. v. 18.

Q. Ce-

Q. *Celebraruntnè etiam Apostoli Missam?*

R. Celebrarunt, ut colligitur tum ex illis verbis, Act: 13. v. 2. *Ministrantibûs* (seu prout in Græco paulò clariùs habetur (*sacrificantibûs illis Domino.* Tum ex antiquissimis Liturgiis S. Petri, S. Jacobi &c. seu formis celebrandi Missam.

Q. *Quid de Missæ Sacrificio prædixerat Malachias?*

R. *In omni loco sacrificatur & offertur Nomini meo oblatio munda, quia magnum est Nomen meum in Gentibus.* c. 1. v. 11. Id autem dictum fuisse de Sacrificio novi Testamenti, evidens est, tempore enim veteris Legis, non offerebatur DEO vero, oblatio munda in omni loco à Gentibus.

Q. *Quid in hunc locum Irenæus, qui secundô post Christum seculô floruit?*

R. *Christus in Cæna Apostolos, novam novi Testamenti oblationem docuit, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo Mundo offert DEO, juxta Malachiæ vaticinium.* l. 4. c. 31.

Q. *Quid Augustinus in Psal: 33.?*

R. *Ipse Dominus de Corpore & Sanguine suo instituit Sacrificium secundùm Ordinem Melchisedech, unde & ipsi Apostoli sacrificâsse leguntur.* Eodem modo omnes primitivæ Ecclesiæ Patres.

Q. *Nunquid non legimus ad Hebr. 10. v. 12. Christum semel tantùm in cruce oblatum esse?*

R. Christum oblatione cruenta semel in

cruce oblatum fuisse; quæ sufficientissima quidem erat; verumtamen, ut hanc cruentam oblationem continuò nobis in memoriam revocando applicaremus, instituit præterea oblationem incruentam pretiosi Corporis & Sanguinis sui sub speciebus panis & vini, seu Missam

Q. *Quæ est substantia Missæ?*

R. Conversio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, prout factum in ultima Cæna.

Q. *Igitur substantia Missæ in re est Cænæ Domini celebratio?*

R. Ita est.

Q. *Quid præterea reperitur in Missa?*

R. Christi Evangelium, Lectiones S. Scripturæ, & Epistolæ SS. Apostolorum, aliique varii Scripturæ Textus, proportionatè ad Festa per Annum occurrentia, ac Orationes ad DEum.

Q. *Quid adhuc?*

R. Ceremoniæ hujusmodi ab Ecclesia institutæ, quibus memoria Passionis & mortis Christi excitatur in adstantibus.

Q. *In Exemplo?*

R. *Egressus Sacerdotis ad Altare*, significat, quomodo Christus Dominus cum Discipulis iverit ad hortum. *Initium Missæ ante infimum Altaris gradum*, denotat Orationem Christi in horto. *Profunda Sacerdotis inclinatio, dum dicit, Confiteor* &c. significat, quomodo Dominus ceciderit

ciderit in faciem suam. *Osculum Altaris*, revocat nobis in memoriam osculum Judæ in horto. *Pregressus Sacerdotis hinc, inde*, quomodo Christus ex horto ad Principes Sacerdotum, ab Anna ad Caipham, à Pilato ad Herodem, ab Herode ad Pilatum, circumductus fuerit. *Signum S. Crucis* frequentiùs repetitum, commemorat multifarios dolores, & afflictiones Christi tempore Passionis. *Ablutio manuum*, lotionem Pilati denotat. *Detectio Calicis*, denudationem Salvatoris ad columnam. *Elevatio Hostiæ & Calicis*, elevationem Christi in Cruce. *Fractio Hostiæ*, mortem Christi, quo etiam tempore Anima ejus Sanctissima in Limbum descenderat, &c.

Q. *Quoniam itaque omnia in Missa piissima & sanctissima, cur eam, nonnulli è Ministris oppositis, tam enormibûs conviciis afficiunt?*

R. Quosdam ex illis, per ignorantiam culpabilem delinquere, juxta illud: *Quæ ignorant, blasphemant*, Judæ v. 20. Quosdam autem ex invidia, quoniam ipsi hoc Sacrosanctum Missæ Sacrificium (utpote à solis, ritè per Episcopos consecratis Presbyteris celebrabile) non valent administrare.

):(***):(

§. 6.

§. 6.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Q. *Quid est Sacramentum Pœnitentiæ?*

R. Quando peccator coram ritè ordinato, atque Jurisdictione prædito Sacerdote, contrito corde peccata sua confitetur, & absolutionem obtinet.

Q. *Quare dicitur Sacramentum?*

R. Quoniam est quid sensibile, per quod remissio peccatorum, adeoque & Gratia DEI hominibus confertur.

Q. *Quando institutum est hoc Sacramentum?*

R. Tunc dum & Confessio, Mat. 18. & Joan. 20. ut inferiùs videbimus.

Q. *Quot sunt partes substantiales Pœnitentiæ?*

R. Tres, Contritio, Confessio, & Absolutio.

Punctum 1.

Q. *Quid Contritio?*

R. Est animi dolor ac detestatio peccati, cum proposito ampliùs non peccandi.

Q. *Quid hac de re Scriptura S.?*

R. De *Dolore* habetur e. c. Joelis 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra.*

De *Detestatione* peccati: Psal. 118. *Propterea odivi omnem viam iniquitatis, & omnem viam iniquam odio habui.*

De *Proposito*, ampliùs non peccandi Isa: 18. *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & Spiritum novum.*

Q. *Quomodo e. c. institui posset Contritio?*

R. V. g. sic: O JESU! Dominus meus & DEus meus! quàm displicet mihi, quàm tristis est Anima mea, quantùm doleo, quòd te offenderim! te inquam Domine, qui omni amore, omni cultu & honore dignus es, quem proinde etiam nunc ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus meis diligo super omnia: ab hac hora, nunquam à mandatis tuis recedam, nunquam à te avertar in æternum.

Q. *Sufficeretnè etiam attritio, seu dolor ex timore gehennæ à DEO infligendæ, aut amissionis æternæ salutis?*

R. Sufficeret in Confessione: nihilominus conetur peccator, id ipsum in amorem DEI convertere.

Q. *Quomodo?*

R. E. c. sic: Desidero Cælestem æternam gloriam, sed ideo ut te DEum meum ibidem laudem, glorificem atque amem in æternum, nec unquam ampliùs vel occasionem te offendendi habere valeam. Timeo inferni pænas, ne aliquando illis annumerari merear, qui te blasphemant, qui te non diligunt. En Domine, licèt omnes cruciatus, contemptus persecutiones, omnium bonorum jacturam perpeti

deberem

deberem in via mandatorum tuorum, nunquam tamen ab hac via declinabo, nunquam à tuo amore deficiam; Amorem tuum mihi dones, & dives sum satis.

Q. *Sufficitnè Contritio ad delenda peccata, dum nequit haberi Confessarius?*

R. Sufficit, si ex amore DEI proficiscatur.

Q. *Quid involvit propositum non peccandi?*

R. Voluntatem omnia mandata DEI cum ejus Gratia servandi in perpetuum, adeoque resarciendi injurias famæ aut fortunæ proximo illatas, vitandi occasionem proximam peccandi, resistendi fortiter pravis consuetudinibus, acceptandi media à Confessario præscripta &c. &c.

Q. *Requiriturnè etiam Fides & Spes ad veram pænitentiam?*

R. Omnino: & quidem ante omnia debet homo credere quidquid DEus credendum revelavit, quodvè pænitentibus misericorditer condonet peccata: deinde spem firmam concipere, hanc misericordiam etiam sibi exhibendam, postquam veram egerit pænitentiam. Tum subsequitur Contritio, Confessio &c.

Q. *Quid sentiendum de pænitentoa quorundam, qui eam principaliter in Fide constituunt, & quidem tali, qua credunt infallibiliter sibi remissa esse peccata?*

R. Talem pænitentiam esse nullam: attestante enim Scriptura & lumine rationis, aliud est

est credere, aliud pænitentiam agere. Deinde fidem hujusmodi non esse fidem, sed præsumptionem, Capite 2. §. 1 dictum est.

Punctum 2.

De Confessione.

Q. *Quis Confessionem, adeoque & Sacramentum hoc pænitentiæ instituit, Christus an Ecclesia?*

R. Christus Dominus ipse, dicens ad Apostolos: *Quæcunque ligaveritis super terram erunt ligata & in Cælis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælis.* Mat. 18. v. 18. Et: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittentur, & quorum retinueritis retenta sunt.* Joan. 20. v. 22. Proinde monet S. Jacobus c. 5. v. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

Q. *Igitur non est satis, soli DEO (cui nota sunt) confiteri peccata?*

R. Non est satis: quia Christus statuit locô citatô, etiam servis suis, videlicet legitimè ordinatis Sacerdotibus, confitenda esse.

Q. *Sufficeretnè, in communi se accusare coram Sacerdote, dicendo se peccatorem esse, & in multis deliquisse?*

R. Non sufficit: citatîs enim Textibus constituit Christus in Ecclesia sua Judices spirituales cum potestate remittendi, & retinendi peccata, absolvendi atque ligandi, ut igitur sci-

ant, quando ligandum, quando solvendum, quid remittendum, quid retinendum, omnino necessaria est distincta peccatorum Confessio.

Q. *In Exemplo?*

R. Quomodo Judex posset legitimè obsolvere reum, si delicta ejus sibi non innotescerent?

Q. *Utique Christus Magdalenam, & quosdam alios sine particulari peccatorum Confessione absolverat?*

R. Christo, cui arcana cordium perspecta erant, habenti præterea absolutam Potestatem id licitum fuerat: aliter tamen potestas absolvendi concessa est servis suis, nimirum sic, ut expendant pro priori, quandonam remittenda, aut non remittenda peccata: quod absque distincta peccatorum Confessione in particulari, fieri nequit.

Q. *Sed impossibilè est omnium delictorum meminisse?*

R. Neque exigitur, ut omnino omnia confiteamur, sed solùm illa, quæ præmisso diligenti examine conscientiæ, memoriæ occurrunt. Et quidem sola gravia tenemur confiteri: possumus tamen etiam levia.

Q. *Quodsi pœnitens, aliàs bene dispositus, obliviscatur quorundam peccatorum?*

R. Absolvitur etiam ab illis, quia fecit quantùm modò humano poterat: quæ enim memoria

ria excidunt, hæc confiteri, non eſt in noſtra poteſtate.

Q. *Sed David ait:* Delicta quis intelligit. *Pſal: 18. v. 13.?*

R. Non eſt neceſſe, ut pænitens omnino comprehendat quantam delicta ſua malitiam contineant: imo etiamſi dubitet, ſitnè aliquod peccatum, mortale an veniale, confiteatur, & ſpectabit ad Confeſſarium, talia humanô modo diſcernere.

Q. *Fueratnè Confeſſio hæc, etiam tempore Apoſtolorum in uſu?*

R. Fuerat, e. c. Jacobi 5. v. 16. *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Et Act. 19. v. 18. *Multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos.* Et Joan. 1. Epiſt. c. 1 v. 9. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt, ut remittat nobis peccata noſtra.*

Q. *Vigebatnè conſuetudo hæc in primitiva Eccleſia?*

R. Procul dubio: ut ex Scriptis SS. Patrum colligitur S. Auguſtinus l. 2. de Viſit: Infirm: c. 4. ait: *Sunt quidam qui ſibi ad ſalutem ſufficere autumant, ſi ſoli DEO, cui nihil occultum eſt, ſua confiteantur crimina. nolunt enim aut erubeſcunt, ſive dedignantur, ſe oſtendere Sacerdotibus, quos tamen inter lepram diſcernere, Dominus conſtituit. Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac illum conſcientiarum tuarum penitus participem.*

Q. *Quid præmittendum Confeſſioni?*

 R. Di-

R. Diligens examen conſcientiæ, quod inſtitui poterit, percurrendo e. c. 10. DEI præcepta, ac præcepta Eccleſiæ, conſiderando bene, num contra hoc vel illud, cogitatione, verbo, aut opere deliqueris.

Q. *Quid amplius?*

R. Contrito corde ad Confeſſarium accede, petendo priùs benedictionem ejus, ut ritè & competenter valeas peccata tua confiteri. Tum manifeſtandum, quanto tempore non ſis confeſſus, & utrum pænitentiam impoſitam expleveris, atque Confeſſio inchoanda, primò in univerſali: *Confiteor DEO Omnipotenti, Beatæ MARIÆ ſemper Virgini, B. Michaëli Archangelo, B. Joanni Baptiſtæ, SS. Apoſtolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere: mea culpa! mea culpa! mea maxima culpa!*

His præmiſſis inſtituitur confeſſio peccatorum in particulari: quæ debet eſſe *brevis*, hoc eſt, ne impertinentia ad Confeſſionem, afferantur: *clara*, id eſt, cum explicatione malitiæ & numeri peccatorum: atque *ſincera*, ſeu non ſubticendo ullum peccatum grave: aliàs enim confeſſio eſſet nulla & ſacrilega. Verbô, ſic inſtituenda quævis confeſſio, ac ſi eſſet ultima.

Q. *Ad quid in Confeſſione univerſali fit mentio Sanctorum, utique ſoli DEO, non Sanctis confeſſio inſtituenda?*

R. Fal-

R. Falsum est, quòd soli DEO facienda sit Confessio, sed omnino etiam homini Sacerdoti. Jam si coram homine mortali confiteris, cur præterea non poteris protestari, te quoque coram omnibus Sanctis, cum DEO regnantibus, fateri delicta tua.

Q. *Utilisnè Animæ pænitentis, talis confessio, quæ coram Ministro acatholico instituitur cum sola protestatione universali, se esse peccatorem, & in multis deliquisse?*

R. Non: & quidem ideo 1. quoniam id non est, verè confiteri & revelare ipsa peccata, sed solùm in confuso fateri, se peccatorem esse; quod ordinariè facere solent homines, modò se offerat occasio, etiam in medio fori, & coram quibusvis adstantibus.

2. Siquidem hujusmodi Ministri non habent potestatem absolvendi à peccatis, sicut plurimi ex illis ultro fatentur: ac proinde docent, peccata per solam Fidem in Christum, remitti; se verò præcisè annuntiare, quòd remissa sint.

Q. *Sed insistendo suæ doctrinæ, videtur nulla esse necessitas talis nuntii?*

R. Ita est: docent enim, Scripturam ipsam (quam omnibus volunt esse perspicuam) annuntiare, quòd peccata remissa sint per Christum, quòdvè peccator, idipsum credendo, justificationem per solam Fidem consequi valeat.

Punctum 3.

De Absolutione Confessarii, & reservatione casuum, atque Excommunicationibus.

Q. *Sacerdotes, legitima Ordinatione & Jurisdictione pollentes, solumne annuntiant pœnitenti, peccata sua esse remissa: an verò potestatem delegatam habent, remittendi ea nomine Christi?*

R. Habent potestatem à Christo collatam, cùm expresse dicat: *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis.*

Q. *Quomodo id declarandum in Exemplo?*

R. Sic: Cui dantur claves, illi non præcisè permittitur facultas annuntiandi, fores esse apertas, sed potiùs aperiendi & claudendi. Porro potestas etiam absolvendi, est Ecclesiæ concessa per modum clavium. Mat. 16. v. 19.

Q. *Potestnè Confessarius absolvere illum, qui non vult restituere ablata, aut occasionem proximam peccandi graviter, relinquere, aut ab habitu aliquo pravo desistere?*

R. Non potest, cùm talis peccator non habeat verum propositum servandi mandata, & vitam emendandi, ac proinde indignus sit remissione priorum delictorum, & Gratiâ DEI.

Q. *Daturnè in Ecclesia Potestas reservandi aliqua peccata, ita ut inferior non valeat ab iis absolvere?*

R. Da-

R. Datur: cùm enim Christus, principaliter & irrestrictè Petro ejusque Successoribus dixerit: *Quidquid ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis*, ideo poterunt hi, justis de causis, & propter majus bonum animarum, etiam potestatem absolvendi, in Presbyteris inferioribus ligare.

Q. *Daturnè in Ecclesia potestas excommunicandi, seu separandi quosdam contumaces peccatores à communione Fidelium?*

R. Datur, quoniam Christus ipse præceperat Mat. 18. *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*

Q. *Fueratnè in primitiva Ecclesia consuetudo excommunicandi?*

R. Omnino: imo ipse S. Paulus excommunicaverat quendam contumacem peccatorem 1. Cor. 5. dicens: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? auferte malum ex vobismetipsis.*

§. 7.

De pæna quam Confessarii pænitentibus imponunt.

Q. *Quare Confessarius opera quadam pænitentiæ injungere solet?*

R. Ut pæna temporalis, quam pro peccatis nostris meremur, per jejunium, orationes, castigationes corporis, eleemosinas &c. avertatur.

Q. *Utique per absolutionem Sacerdotis, absolvitur*

tur homo nomine Christi ab omnibus peccatis & pœnis ?

R. Absolvitur à peccatis, & pœna æterna, non tamen à pœna temporali.

Q. *Soletnè DEus remittendo peccatum, & consequenter etiam pœnam æternam, adhuc tamen reservare pœnam temporalem ?*

R. Omnino solet: ut testatur Scriptura: *Dominus patiens est, & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata Patrum in Filios, in tertiam & quartam generationem.* Num. 14. v. 18.

Q. *In Exemplo ?*

R. Continua id docet tot Seculorum experientia: hoc expertus David 2. Reg. 12. cui licèt fuerit remissum peccatum adulterii & homicidii, pœna nihilominus temporalis non remissa: *Verumtamen Filius tuus morietur,* inquiebat Propheta. Item Num. 14. v. 20. Quamvis DEus, ad orationem Moysis, dimisisset delicta populo, mulctati nihilominus sunt plurimi pœna temporali, ne videlicet terram promissionis ingrederentur.

Q. *Utique Christus pro nobis satispassus ?*

R. Christus pro nobis passus, & nihilominus tot crucibus premuntur homines, ut quotidiana docet experientia. En Christus etiam pro Paulo passus, & tamen 1. Cor. 9. v. 27. inquit ille: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.*

Q. *Quid*

Q. *Quid ergo?*

R. Christum quidem abundè pro peccatis omnium hominum satisfecisse, nihilominus omnes præterea obligâsse, ut hanc sibi satisfactionem solicitè applicarent, sicut in ordine ad remittendam culpam & pœnam æternam, per Sacramentum pœnitentiæ, ita etiam ad remittendam pœnam temporalem, per opera pœnitentiæ à Confessario injuncta, aut alio modo.

Q. *Quomodo igitur pœna temporalis declinanda?*

R. Per jejunia, afflictationes corporis, eleemosinas, orationes &c.

Q. *Quid de hac re Scriptura?*

R. Ninivitæ evitarunt pœnam temporalem, jejunando 3. diebus, & induendo cilicia. Jonæ 3. v. 10. Idem habetur de Rege Achaz 3. Reg. 21. v. 29. Et Daniel Propheta hortatur Nabuchodonosorem: *Peccata tua eleemosinis redime,* c. 4. v. 24.

Q. *Quis secundus modus?*

R. Per extraordinariè ferventes actus contritionis & charitatis DEI, ut videre est in S. Maria Magdalena, illoque bono latrone.

Q. *Habeturnè adhuc facilior modus?*

R. Habetur, nimirum usus Indulgentiarum.

Q. *Si quis in hac vita non exsolvat pœnam temporalem, neque prædictis modis à se avertat?*

R. Is tenebitur id facere in altera vita, in purgatorio.

§. 8.

De Indulgentiis.

Q. *Quid est indulgentia ?*

R. Est remissio pœnæ temporalis, quam pro peccatis nostris meremur.

Q. *Unde profluunt indulgentiæ ?*

R. Ex infinito Thesauro Meritorum Christi.

Q. *Quomodo ?*

R. Postquam homo in Sacramento Pœnitentiæ, Nomine Christi absolutus est à peccatis suis, & pœna æterna, applicantur eidem Merita Domini nostri JESU Christi per orationes aut alia pia Opera, in ordine ad extinguendam quoque pœnam temporalem.

Q. *Quis Potestatem habet sic applicandi Merita Christi, seu impertiendi Indulgentiam pœnæ temporalis ?*

R. Summus Pontifex Romanus, & cui ipse id delegaverit.

Q. *Unde hoc ?*

R. Ex Scriptura : Si enim Christus Dominus potestatem concesserat Ecclesiæ, applicandi Merita sua hominibus per ordinem ad remittenda peccata, & pœnam æternam (quòd est multò plus) cur non etiam per ordinem ad remit-

mit-

mittendam pœnam temporalem? maximè cùm Petro ejusque Successoribus Universalissimam dederit ligandi atque solvendi potestatem illis verbis: *Quodcunque solveris super terram erit solutum & in Cælis.* Mat. 16. v. 19. Et iterum: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Joan. 21. v. 15. 16.

Q. *Possuntnè Indulgentiæ pecuniâ emi?*

R. Hoc est planè impossibile, cùm Indulgentiæ ex Meritis Christi perfluant, quæ sunt infiniti valoris.

Q. *Pro quo igitur interdum solvitur Romanæ Curiæ officialibus?*

R. Pro labore quem describendis & imprimendis Brevibus Apostolorum impendunt: (*Dignus enim est Operarius mercede sua.* Luc. 10.) aliisque expensis fieri solitis.

Q. *Quare Ergo Lutherus rem adeo salutarem mordicùs olim oppugnaverat?*

R. Invidiam turbines illos procreâsse, quòd nimirum Indulgentiarum promulgatio, illo tempore, non sui Ordinis Religiosis, sed Dominicanis, à Pontifice concessa fuisset.

Q. *Multi tamen abusus indulgentiarum pro tunc contigerant?*

R. Quamvis aliqui abusus protunc propter quorundam Sacerdotum avaritiam contigissent, non tamen hac de causa, res adeo salutares, nimirum ipsæ Indulgentiæ impugnari debebant.

§. 9.

§. 9.

De Purgatorio.

Q. *Si quis pro peccatis ſuis pœnitentiam quidem ageret, non tamen pœnam temporalem in hoc ſeculo ſubiret, nec Remiſſionem ejus ſive per Indulgentias, ſive alio modo conſequeretur, ubinam pœnam hanc exſolvere deberet?*

R. In Purgatorio, ſeu tertio extra Cælum & Infernum loco.

Q. *Exigitnè id ipſa DEI Juſtitia?*

R. Exigit: E. c. Sint duo homines, unus piè vixit ad extremum usque vitæ exitum, & quidem continuas inter cruces, quas pro exiguis defectibus ſuis Chriſtianè & patienter pertulit. Alter in carnis deliciis & mundi voluptatibus, inter nefanda ſcelera, viæ & vitæ curriculum abſolvit. Tandem præmiſſa ſalutari, & prout oportet ad miſericordiam conſequendam, pænitentiâ, uterque moritur. Ambonè rectà in Cælum aſcendent? Quomodo ſubſiſteret Divina Juſtitia, quæ omnibus, pro delictis ſuis (ut conſtat ex dictis §. 7.) pænam temporalem conſtituit? Quomodo ſubſiſteret doctrina Evangelica, quæ omnes ad aſſiduum virtutis ſtudium inflammare contendit?

Q. *Quid inde colligitur?*

R. Omnino dari debere locum tertium, ubi temporalis pæna exſolvenda ab iis pæni-

tenti

tentibus, qui hac nondum exsolutâ, de vita decedunt.

Q. *Sed fortè minueretur per hoc satisfactio Christi:*

R. Quamvis homines multa pati debeant in hoc seculo, non tamen ideo minuitur Christi satisfactio, Ergo nec per hoc quòd patiantur in Purgatorio.

Q. *Utique Latroni in cruce immediatè Paradisus appromissus est?*

R. Quia crucem suam gravissimam patienter tulit, per quod Purgatorii pænas in hoc mundo exsolverat. Deinde Gratia specialis, quæ ex abysso Judiciorum Divinorum uni confertur, non eo ipso communis est omnibus.

Q. *Quid tamen in re, nomine Purgatorii intelligitur?*

R. Intelligitur locus tertius præter Cælum & gehennam, ubi Animæ quæ in DEI Gratia de corpore solutæ, adeoque in æterna Gloria locandæ, ad tempus continentur, donec pænam temporalem, quam in hoc mundo promeruerunt, exsolvant, aut per Orationes nostras, aliaque pietatis opera liberentur.

Q. *Constatnè ex Scriptura, defacto dari talem tertium locum, quem Purgatorium nuncupamus?*

R. Constat: e. c. Mat. 5. v. 25. *Esto consentiens adversario tuo citò dum es in via ne fortè in carcerem mittaris: Amen dico tibi non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Hoc

Chri-

Christus Dominus certè non de Inferno dixerat, inde enim nullus exibit, inde nulla redemptio, nulla solutio: Igitur de Purgatorio.

Q. *Utique hic non reperitur vox ista:* Purgatorium?

R. Minus est de voce, modo res ipsa habeatur.

Q. *Quid præterea?*

R. 1. Cor. 3. v. 15. inquit S. Paulus: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quem textum S. Patres in primitiva Ecclesia, de purgatorio interpretati sunt, e. c. S. Augustinus l. 20. Homil. 16. S. Hieronymus in cap. 4. Amos. S. Ambrosius in Psal. 18.

Q. *Quomodo citato locô loquitur Augustinus?*

R. *Qui temporalibûs pœnis digna gesserunt, per ignem quendam purgatorium transibunt, de quo Apostolus ait: Salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Q. *Credibilenè, Ministros contradicentes, præfatam Scripturam meliùs intelligere?*

R. Nequaquam: cùm S. Doctores interpretationem Scripturæ & Doctrinam suam, etiam sanctissimâ vitâ, & innumerîs Miraculis confirmaverint.

Q. *Quomodo adhuc ex Scriptura, Purgatorii veritas declaranda?*

R. Tam in Novo, quàm Veteri Testamento, consuetudo fuerat orare, aliaque pietatis opera facere pro mortuis. Et sic 1. Cor. 15. v. 29. inquit S. Paulus; *Alioquin quid facient, qui*

qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? ut quid baptizantur pro illis? quod autem per baptizari, intelligatur in præsenti, aliquid pati, evidenter colligitur ex verbis sequentibus, *quid & nos periclitamur omni hora?*

2. Reg. 1. v. 12. jejunavit David mortuô Saul & Jonatha: nec solùm in signum mœroris, verùm etiam devotionis, intendendo opitulari Animabus eorum. Sicut quoque 2. Reg. 12. v. 16. impetrandi gratiâ, jejunium instituerat: *Deprecatus est David Dominum pro parvulo, & jejunavit jejuniô.*

2. Machab. c. 12. v. 46. asseverat Scriptura: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

Q. *Sed Pastores oppositi, Libros Machabæorum non dignantur acceptare pro Canonicis?*

R. Consuetudinem, illos Libros, unde evidentissimi Textus adversùm se citari possunt, eliminandi è Scriptura, non esse argumentum, quod rectè sentientes convincere valeat.

Sed quidquid sit, saltem nemo negare poterit esse Historicos fide dignissimos, unde colligitur, consuetudinem inter Fideles Veteris Testamenti fuisse, orare pro defunctis: quod sufficit.

Q. *Quid ex citatis Scripturæ Textibus infertur?*

R. Infertur, tertium omnino dari locum post hanc vitam, ubi existentibus Animabus Ora-

Oratio nostra utilis sit atque salutaris: frustraneum enim est orare pro degentibus sive in Cælo, sive in Inferno.

Q. *Qualis fuerat consuetudo apud Christianos in primitiva Ecclesia?*

R. Orare, offerre Sacrificia, aliaque bona opera pro defunctis.

Q. *Quid hac de re antiquissimus ille Doctor Tertullianus?*

R. *Oblationes pro defunctis annua die facimus.* l. de corona Militis, c. 3.

Q. *Fueratnè aliqua in Orbe terrarum Natio, quæ pro suis defunctis non oràsset?*

R. Non fuit, ut patet ex omnibus Historiis.

Q. *Quid inde colligitur?*

R. Lumine Naturæ, hominibus à DEO indito, notum esse, quòd orandum sit pro defunctis, ac proinde, detur Purgatorium.

Q. *Quid de iis Ministris sentiendum, qui veritatem hanc, non solùm oppugnare (prout alii faciunt) verùm etiam jocos & ludibria de purgatorio struere consueverunt?*

R. Ejusmodi hominum consuetudinem esse, ut illas Fidei veritates, quas argumentîs non valent, saltem contemptu & ludibrio, populo exosas reddant.

Q. *Sed Scriptura, duplicis solùm post obitum nostrum Loci, claram mentionem facit?*

R. Duplicis loci æterni, facilè concedo: præterea tamen tertium, ad tempus solùm duraturum,

raturum, esse admittendum, nemo ambigere potest. Utique Anima Lazari jam quatriduô defuncti, antequam à Christo Domino ad corpus revocaretur, in tertio loco versari debebat: cùm neque ex Inferno redemptio, neque ex Cælesti Gloria in hujus mundi miserias, detur regressus.

Q. *Quare nihilominus Eccles. c. 11. v. 3. habetur:* Si ceciderit lignum ad austrum aut aquilonem, ibi erit?

R. Hunc Scripturæ locum ineptè contra nos adduci: præsertim, cùm etiam illæ Animæ, quæ Purgatorio ad tempus addicuntur, non ad aquilonem æternæ damnationis, sed potiùs ad meridiem infallibiliter futuræ Beatitudinis cadant. Quemadmodum etiam Animæ SS. Veteris Testamenti Patrum, quæ in limbo, Christi Adventum præstolabantur.

Q. *Si quis, hîs non obstantibus, adhuc rideret Purgatorii pœnas?*

R. Eum nequaquam ad Purgatorium perventurum, quoniam ibidem, soli æternæ salutis hæredes continentur.

Q. *Potestnè Minister, pervicaciter negans Purgatorium, dicere de suis Parentibus, Requiem æternam, dona eis Domine?*

R. Non potest.

Q. *Quare?*

R. Siquidem enim, non credit tertium, post mortem, dari locum, ad quem se extendant

dant hujusmodi pia desideria: ideo, si Parentes sunt in Cælo, desiderium præfatum esset otiosum (cùm tamen simus de quovis verbo otioso, reddituri DEO rationem) si verò sunt in Inferno, omnino imprudens esset, nemo enim ex Inferno valet ad requiem transire sempiternam.

§. 10.

De Extrema Unctione.

Q. *Quid est extrema Unctio?*

R. Est Sacramentum, quo ægrotus, per verba sacra, & unctionem olei sacri, in morbo periculoso relevatur, ut faciliùs Anima ad Conditorem suum evolare, aut etiam corpus (si ita expedit) ad pristinam valeat redire sanitatem.

Q. *Unde, quòd extrema Unctio sit verum Sacramentum?*

R. Quia est signum sensibile, in cujus usu (prout etiam in aliis contingit Sacramentis) Spiritûs S. Gratia confertur.

Q. *Quid de hoc Sacramento Scriptura?*

R. S. Jacobus c. 5. v. 14. & 15. ait: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleô in Nomine Domini: & oratio Fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Q. *Quid*

Q. *Quid Sacerdos facere solet, extremam Unctionem conferendo ?*

R. Præmissîs aliquot pro Infirmo Orationibûs, digitô Oleo S. intinctô, supra singulos Infirmi sensus Crucem format, & dicit: *Per istam sanctam unctionem, & piissimam suam Misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid (v.g.) per visum deliquisti.* &c.

Q. *Statimnè post susceptam extremam unctionem, moriendum ?*

R. Non: imo constat ex citatis Apostoli verbis, Sacramentum hoc etiam corporis (si ita expedit) afferre sanitatem.

§. II.

De Sacramento Ordinis.

Q. *Quare Ordo Sacerdotalis apud Catholicos, dicitur Sacramentum ?*

R. Quoniam per illum Gratia sanctificans confertur.

Q. *Ubi hoc scriptum ?*

R. E. c. 1. Epist. ad Timo: c. 4. v. 14. *Noli negligere Gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et 2. Epist. ad Tim. c. 1. v. 6. *Admoneo te ut resuscites Gratiam DEI, quæ in te est per impositionem manuum mearum.*

Q. *Ut quis sit verus DEI Sacerdos, habens Potestatem consecrandi panem & vinum, nec non ab-*

solvendi pœnitentes à peccatis eorum, debetnè omnino à vero, riteque consecrato Episcopo ordinari?

R. Procul dubio debet: nec valet, si simplex Sacerdos alteri manus imponere præsumat.

Q. *Quare?*

R. Hic enim fuerat tempore Apostolorum usus, hæc praxis etiam in primitiva Ecclesia, hic communis, tam primitivæ, quàm continuò succedentis ad nostra usque tempora, Ecclesiæ Christi, per tot secula sensus: & quidem adeo firmus, ut Ærius, primis statim post Christum seculis, tanquam hæreticus damnatus sit, eò quòd docuerit, eandem Potestatem inesse Presbytero in ordine ad alios creandos Presbyteros, ac Episcopo: prout testatur ipse S. Augustinus, & Epiphanius, hæresi 53.

Q. *Igitur non sunt veri Presbyteri, qui à legitimè (juxta antiquissimam Ecclesiæ Christi consuetudinem) consecratis Episcopis, non ordinantur?*

R. Ita omnino sentiendum, nec in puncto adeo grandi, unde & Sacramentorum veritas, & æterna Animarum dependet prosperitas, à communi Ecclesiæ, per 1723. annos, studiosissimè observata, omniumque Doctorum sensu confirmata, praxi & Doctrina recedendum.

Q. *Quare dictum, quòd hinc pendeat Sacramentorum veritas?*

R. Cùm enim certum sit, Christum Dominum, ipsis duntaxat Apostolis (qui erant verè ordi-

ordinati Episcopi) Potestatem v. g. conficiendi Sacramentum Eucharistiæ, & absolvendi homines à peccatis, immediatè concessisse; sequitur, eos nonnisi prœfata Sacramenta validè conficere posse, qui Potestatem hanc ab iis delegatam accipiunt, qui in locum primorum Episcoporum seu Apostolorum, continua serie, per traditionem Potestatis Episcopalis, succedunt.

Q. *Quid adegerat Lutherum (idem de Calvino & aliis quærendum) ut Tom. Ger. fol. 64. 336. 369. doctrinam nunquam ante in Ecclesia auditam traderet, nimirum:* Omnes Christianos, viros & mulieres, juvenes & senes, esse veros Sacerdotes, nec amplius requiri, nisi ut præsententur à populo?

R. Siquidem illo infelici scissionis tempore, Ordinationem pro suis sequacibus, ab Episcopis impretandam sperare non poterat, ut igitur Gregi suo spirituales faciliùs providisset, resolvit se docere, omnes Christianos esse Presbyteros, solummodo requiri ut à populo præsententur.

Q. *Qua Scripturâ idipsum coloravit?*

R. Illo S. Petri Textu 1. Epist: c. 2. *Vos Regale Sacerdotium.* Unde sic inferebat: Hìc Petrus omnes Christianos alloquitur, Ergo omnes Christiani sunt veri Sacerdotes. Et ideo Ministri, quamvis secundam S. Petri Epistolam è Catalogo Librorum Canonicorum ex-

cluserint, primam tamen acceptant perlibenter.

Q. *Quid valet præfata illatio?*

R. Tantum, quantum valeret, si quis ex citato Textu sic argumentaretur: *Vos estis Regale Sacerdotium*, Ergo omnes Christiani sunt veri Reges.

§. 12.

De Matrimonio.

Q. *Quare Matrimonium in Ecclesia Christi est Sacramentum?*

R. Quoniam est signum sensibile, per quod Gratia DEI confertur contrahentibus.

Q. *Quid de hoc S. Paulus ad Ephe: 5. v. 53.?*

R. *Sacramentum hoc magnum est in Christo & in Ecclesia.* Unde colligitur, Matrimonium in Lege nova, significare Unionem Christi cum Ecclesia, seu Gratiam ejus.

Q. *Sed in Græco, locò Sacramenti, legitur Mysterium?*

R. Quid tum? nunquid Sacramentum non est Mysterium? Quòd autem Matrimonium, non qualecunque Mysterium nuncupetur, verùm tale, in quo tota Sacramenti substantia reluceat, ex toto S. Pauli Textu colligitur.

Q. *Semperne Matrimonium pro Sacramento habitum in Ecclesia?*

R. Omnino: ideoque S. Augustinus l. de bono Conjugum c. 18. docet: *In nostrorum nuptiis,*

ptiis, plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fæcunditas uteri.

Q. *Reprobantnè Matrimonium Catholici?*

R. Nequaquam: quin imo, adeo æstimant, ut Sacramentum esse profiteantur.

Q. *Quale tamen Matrimonium, à Catholicis meritò reprobari solet?*

R. Sacrilegum & invalidum, Divinæque Legi è diametro oppositum, dum quis, contra Votum castitatis & jusjurandum DEO voluntariè factum, uxorem ducit.

Q. *Quid dicit Propheta David?*

R. *Vovete, & reddite Domino DEO vestro:* Psal. 75. v. 12.

Q. *Quæ Lex obligat, ut qui perpetuam DEO voverunt castitatem, à Matrimonio abstineant?*

R. Lex DEI, & naturæ rationalis: hæc enim præcipit, sicut in omni alia materia sic & in præsenti, Juramentis & promissis voluntariè DEO præstitis, omnino standum esse.

Q. *Ut quid illi, qui Ordines sacros in Romana Catholica Ecclesia suscipiunt, vovent castitatem?*

R. Ideo 1. quoniam S. Paulus 1. Cor. 7. v. 38. & 39. disertè testatur: *Meliùs & beatiùs esse non nubere.*

2. Ut Spirituales nostri magis soliciti sint de iis quæ DEI, quàm quæ uxoris sunt.

3. Siquidem cælibatus Personarum Spiritualium est conformis sicut Christi Consilio, ita Petri aliorumque Apostolorum Exemplo.

Q. *Unde hoc?*

R. Postquam enim Dominus dixisset Apostolis suis Mat: 19. v. 29. *Omnis qui reliquerit Domum, vel Fratres, &c. vel uxorem propter Nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit:* Ipsi monitum salutare amplexi sunt, cùm protestetur Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

Q. *Quid hic mirandum?*

R. Quòd nonnulli, præ nimia in mulieres propensione, ausi sint, illum S. Pauli Textum, (*Nunquid non habemus potestatem, mulierem, Sororem circumducendi,* 1. Cor. 9. v. 5.) corrumpere, locò *mulieris*, ponendo Uxorem: cùm tamen Apostolus, consultò, vocem hanc, *Sororem*, adjunxerit, ne vel occasio præberetur suspicandi, Milierem illam, Uxorem fuisse: nec in Græco Textu, alio exprimatur vocabulô præfata Mulier, quàm quod adhiberi solet ad quamcunque fæminam, sive fuerit Virgo, sive non, denotandam: ut patet omnibus, etiam mediocriter solùm in hoc Idiomate versatis.

Q. *Num genus humanum interiret, quo casu Ministri oppositi ab Uxoribus abstinerent?*

R. Nequaquam: abundè enim à secularibus multiplicaretur.

)(***)(

CA-

CAPUT QUINTUM.

De Officiis Justitiæ Christianæ.

Q. *Quæ sunt Christianæ Justitiæ Officia?*

R. Declinare à malo seu peccato, & facere bonum seu Opera Virtutum.

§. I.

De Peccatis.

Q. *Quid est peccatum?*

R. Est transgressio Divinæ Legis. Porro etiam ille qui Legem humanam Ecclesiæ transgreditur, Divinæ Legis transgressor est, cùm DEus ipse præceperit obedire Ecclesiæ & Potestatibus.

Q. *Quotuplex peccatum?*

R. Duplex, Originale & Actuale. Originale, est peccatum Adæ, in quo concipimur tanquam Filii iræ, quodque per Baptismum nobis in Christo condonatur. Actuale verò est, quod cogitatione verbo aut opere ab unoquoque committitur.

Q. *Quod fundamentum, omnes homines (præter*

Christum & B. ejus Genitricem) in peccato Originali & absque Gratia DEI concipi ?

R. Ex plurimis Scripturæ S. locis. e. c. ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit , & per peccatum mors , in quo* (nimirum Adamo) *omnes peccaverunt.* Proinde David psal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum , & in peccatis concepit me Mater mea.*

Q. *Quotuplex peccatum Actuale ?*

R. Duplex : Mortale & Veniale. Mortale est, quod mortem spiritualem animæ induit, seu privat eam Gratiâ & Amicitiâ DEI, mereturque pœnam æternam. Veniale verò est, quod non privat Animam DEI Amicitiâ, & pœnam solùm temporalem promeretur.

Q. *Unde, quòd peccata quædam levia solùm sint, alia verò gravia ?*

R. Et lumine naturæ id notum est, & præterea ex multis Scripturæ S. & S. Patrum testimoniis colligitur : inter alia, etiam ex illo Mat. 7. v. 3. ubi quædam peccata trabi, quædam festucæ comparantur.

Q. *Quare peccatum mortale summopere fugiendum ?*

R. Quoniam Dominum DEum offendit, æterna Beatitudine hominem spoliat, præcipitatque in ærumnas sempiternas.

Q. *Quot sunt peccata Capitalia , ex quibus veluti fontibus omnia alia peccata proficiscantur ?*

R. 7.

R. 7. videlicet: Superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia.

Q. *Quid requiritur ut peccatum censeatur esse mortale?*

R. Tria. 1. Plena advertentia ad graviter prohibitum. 2. Plenus consensus sive in ipsum Opus, sive in delectationem prohibitam. 3. Materia gravis.

Q. *Suntnè primi motus pravi indeliberati peccata?*

R. Nequaquam: quod enim præter intentionem seu voluntatem accidit, nemini imputatur ad culpam aut pœnam, sive apud DEum, sive homines, sic dictante ipso lumine rectæ rationis.

Q. *Qua de causa docent nonnulli (omnino erroneè) actus pravos etiam involuntarios esse peccata formalia, & quidem mortalia?*

R. Forsan ideo, ut suis sequacibus persuadeant, se non posse à peccatis abstinere, ac proinde arbitrantes, etiam illos actus, in quos homo non consentit, aut vitari nequit, esse peccata gravia, faciliùs & liberaliùs se resolvant ad peccandum potiùs voluntariè & deliberatè.

Q. *Satisnè homini Christiano à peccatis declinare?*

R. Non satis, sed præterea opus est, agere bonum, & in virtutibus se exercere.

§. 2.

§. 2.

De Virtutibus.

Q. *Quid boni faciendum Homini Christiano?*

R. Tenetur 1. observare quæ Lex DEI, Naturæ, & humana præcipit. 2. Facere quæ suæ vocationis sunt, adeoque acceptæ DEI Gratiæ cum gratiarum actione cooperari.

Q. *Quid hac de re Scriptura?*

R. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Mat. 3. v. 10.

Q. *Qui sunt præcipui fructus boni?*

R. Orare, jejunare, eleemosinas dare.

Q. *Quid de his Scriptura?*

R. De Oratione: *Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Mat. 26. v. 41. De Jejunio: *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis & orationibus in conspectu Domini.* Judith c. 4. v. 12. De Eleemosina: *Qui miseretur pauperis, beatus erit.* Eccle: 14. v. 21.

Q. *Peccatnè qui cum distractionibus orat?*

R. Peccat, si talibus distractionibus voluntariè inhæreat.

Q. *Qui autem distractionibus adventantibus continuò resistit?*

R. Is specialem exercet virtutem.

Q. *Quomodo virtuosè mortificatur appetitus?*

R. Dum quis magnum desiderium habens, aliquid videndi vel audiendi, gustandi vel expe-

experiendi, id tamen propter DEUM non facit.

Q. *Peccatnè qui eleemosinam dat, ut videatur & laudetur ab hominibus?*

R. Pharisaicum committit peccatum.

Q. *Quid inde colligitur?*

R. Intentionem pravam corrumpere quodvis opus bonum.

Q. *Quid de iis sentiendum, qui omnia ferè Catholicorum opera bona, & devotiones, quæ publicè instituuntur Pharisaicas appellant?*

R. Nimis crassum errorem esse, velle ne quidquam boni præsentibûs aliis fiat, cùm Christus ipse disertè præceperit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in Cælis est.* Mat. 5. v. 16. Omnino possumus, & interdum etiam debemus, exigente id Gloriâ DEI & ædificatione proximi, bona Opera palam, videntibus hominibus facere, sed non ideo ut videamur & laudemur ab hominibus.

Q. *Quæ sunt omnium virtutum præcipuæ?*

R. 1. Tres Theologicæ, videlicet: Fides, Spes & Charitas. 2. Quatuor Cardinales, nimirum: Prudentia, Justitia, Temperantia, Fortitudo, quibus veluti cardinibus nituntur reliquæ.

§. 3.

§. 3.
De libero arbitrio hominis & Gratia DEI.

Q. *Habetnè homo liberum arbitrium, vi cujus possit malum fugere, aut bonum eligere, si & quando vult?*

R. Omnino: id enim constat non solùm quotidianâ experientiâ, verùm etiam innumeris Scripturæ S. locis.

Q. *Exempli causâ?*

R. *DEus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui, adjecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata servare, servabunt te. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Eccles: 15. v. 14. 18.

Q. *Igitur DEus neminem necessitat ad peccatum?*

R. Certè non: *Non dixeris, per DEum abest, quæ enim odit, ne feceris. Non dicas, ille me implanavit: non enim necessarii sunt ei homines impii: omne execramentum erroris odit Dominus.* Eccle: 15. v. 11. &c.

Q. *Necessitatnè DEus gratiâ sua hominem ad bonum?*

R. Nequaquam: *Quoties volui congregare Filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti*, inquit Christus ipse Mat. 23. v. 37.

Q. *Est-*

Q. *Estnè Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus?*

R. Ita est, ideoque S. Paulus ait: *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* ad Rom: 8. v. 32.

Q. *Desideratnè DEUS sincerè quantùm de se omnium hominum salutem?*

R. Desiderat, ut testatur idem S. Paulus: *DEus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 2. v. 4.

Q. *Quid sequitur inde?*

R. DEum dare omnibus hominibus gratias sufficientes, & media necessaria, tam ad servanda mandata sua, quàm ad consequendam salutem, modò ipsi velint. Quomodo enim aliàs sincerè vellet omnium salutem? aut quomodo Christus fuisset pro omnibus mortuus?

Q. *Sed fortè aliquod saltem ex parte DEI necessariò requisitum, deest peccatoribus, dum non convertuntur?*

R. Non: protestatur enim ipse, Isa: 5. v. 4. *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci? expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas.*

Q. *Igitur homines possunt resistere Gratiæ Divinæ, eique non cooperari?*

R. Possunt & frequentissimè solent: ideoque incusat Apostolus: *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui S. resistitis.* Act. 7. v. 51.

Q. *Quo-*

Q. *Quomodo appellari solent hujusmodi Gratiæ?*

R. Dum homo Gratiæ Divinæ resistit, seu non cooperatur, dicitur *gratia purè sufficiens*, dum autem cooperatur, *gratia efficax*.

Q. *Quid in re sunt Gratiæ actuales, quibus nos DEus ad bonum excitare & adjuvare consuevit?*

R. Sunt Illuminationes supernæ Intellectûs & piæ inspirationes voluntatis. De quibus toties in Scriptura, e. c. ad Epho: 5. *Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Et Joan. 6. v. 45. *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* &c.

Q. *Præter has Gratias transeuntes, soletnè quoque dari ex Meritis Christi, Gratia permanens & inhærens Animæ hominis?*

R. Datur defacto in omnibus justis, diciturque Justitia & Filiatio DEI adoptiva & gratia sanctificans. Hanc per peccatum grave amittimus, per Pænitentiam verò recuperamus, & per bona Opera augemus. Qui hac veste nuptiali spoliatus de vita decedit, proculdubio in tenebras projiciendus exteriores.

Q. *Quid de illa Scriptura?*

R. Joan. 1. v. 13. *Qui ex DEO nati sunt.* Et Joan. 14. v. 23. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et ad Rom. 5. v. 5. *Diffusa est Charitas DEI in Cordibus nostris per Spiritum S.* Et 2. Cor. 1. v. 21. *Unxit nos DEUS & signavit, & dedit pignus in cordibus nostris*, &c.

Q. *Quid*

Q. *Quid nomine libertatis Conscientiæ & Fidei intelligitur, quam nonnulli omni conatu, ore & calamô deprædicare consueverunt?*

R. Error gravissimus, qui ad omnem dissolutionem, januam aperit: Nimirum 1. permittendum esse cuivis, ut credat (& quod inde per legitimam sequitur consequentiam) etiam faciat, quidquid sibi videtur & placet. 2. Præcepta Ecclesiæ non esse observanda.

Q. *Quare primum dicitur gravis error?*

R. Quoniam adversatur DEI Mandatis; quæ nos urgent, ut errantes omni studio in viam rectam pertrahamus. Adversatur Exemplo Christi, qui ovem illam perditam solicitè quæsivit; & quosdam alios, etiam flagellô adhibitô, rectiùs sapere edocuit. Adversatur denique lumini rationis: cùm enim plurimi reperiantur inter Christianos, qui veritatem Fidei, vincibiliter, culpabiliter & affectatè ignorant, quemadmodum illi qui interficiendo Apostolos: *Arbitrabantur obsequium se præstare DEO*, Joan: 6. v. 2. Recta ratio dictat, nullatenus esse permittendum, ut homines ejusmodi in perniciosa adeo Animæ suæ, ignorantia relinquantur.

Q. *Quare secundum, est error?*

R. Quia Christus severè præceperat: *Si non audierit Ecclesiam sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Mat. 18. v. 17.

Q. *Quid de præfata libertate S. Petrus?*

R. *Superba vanitatis loquentes, pelliciunt in de ſideriis carnis eos, qui paululum effugiunt, qui in errore converſantur, libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſervi ſint corruptionis.* 2. Epiſt. c. 2. v. 18. 19.

Q. *In quo igitur vera Conſcientiæ & Fidei libertas ſita eſt?*

R. 1. In hoc, dum in rebus Fidei, eligimus, quod eſt ſecuriſſimum, ſumendo S. Scripturam juxta antiquum & uniformem Eccleſiæ ſenſum; cui proculdubio, magis liberâ, tutâque conſcientiâ confidere poſſumus, quàm interpretationi, nuper multifariam coagulatæ.

2. Quando declinantes à malo, in via mandatorum de virtute in virtutem progredimur.

3. Dum ſolicitè curamus ne ſimus ſubditi peccatis, ſed quoties ex fragilitate labi contigerit, quantocyùs per veram pænitentiam reſurgamus.

Et hæc eſt Chriſtiana Conſcientiæ & Fidei libertas: quæ involvit præterea etiam hoc, quòd Legis Judaicæ oneribus & ceremoniis non ſubjaceamus.

§. 4.

De 4. Noviſſimis.

Q. *Quæ ſunt 4. noviſſima hominis?*

R. Mors, Judicium DEI, Infernus, Gloria Cæleſtis.

Q. *Quid de his Eccleſiaſticus?*

R. *Re-*

R. *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*, c. 7. v. 40.

Punctum 1.

De Morte.

Q. *Qua de causa omnibus moriendum?*

R. Peccatum primi Parentis nostri Adæ, in causa est.

Q. *Quid immediatè post mortem sequitur?*

R. Judicium DEI particulare, vi cujus quædam Animæ destinantur rectà ad Infernum, quædam ad Cælestem Gloriam, quædam verò ad temporalem pænam purgatorii.

Q. *Igitur non dormiunt Animæ (prout aliqui somniabant) ad extremum usque universale totius mundi Judicium?*

R. Certè non, id enim sapit Atheismum. Utiqve S. Paulus ait: *Desiderium habeo dissolvi, & esse cum Christo.* ad Phil: 1. v. 23. Epulo autem ille, statim ac mortuus, sepultus est in Inferno.

Q. *Quis ad quem ex dictis tribus locis destinatur?*

R. Ad Infernum omnes, quotquot in peccatis suis mortalibus decedunt. Ad Cælestem Patriam, qui in statu gratiæ moriuntur: Ad purgatorium verò temporale ille, qui in Gratia quidem DEI obiit, pænam tamen temporalem adhuc exsolvendam habet.

Q. *Quid aufert secum Anima de hoc mundo?*

R. Opera sua sive bona, sive mala: *Opera eorum sequuntur eos.* Apoc: 14. v. 13.

Q. *Quare sepelitur corpus in loco Sacro?*

R. 1. Quoniam per usum Sacramentorum, quodammodo sacratum fuerat.

2. Ut Orationes Ecclesiæ, quæ in tali loco pro ibidem sepultis fieri solent, prosint Animæ.

Q. *Resurgetnè Corpus, sua Anima uniendum, ante illum extremi Judicii diem?*

R. Omnino resurget: hæc est firmissima Fides Christiana: *Omnes quidem resurgemus*, 1. Cor. 15. v. 51. Et, *seminatur corpus animale, resurget spirituale.* v. 44.

Q. *Priusquam Christus judicaturus Mundum, venturusnè est Antichristus?*

R. Venturus est proximè ante totius mundi interitum & Judicium. Sic habetur Daniel: 7. & 12. Hoc confirmatur 2. ad Thessa: c. 2. Et Christus ipse Mat: 24. v. 29. prædixit, *statim post illam Antichristi persecutionem solem obscurandum* &c. seq; in nubibus Cæli venturum.

Q. *Quid faciet Antichristus?*

R. Oppugnabit Christi Legem & Evangelium, jactabit se esse DEum, persequetur universam Christianam Ecclesiam atrocissimè, in quem finem adhærebunt sibi omnes Judæi, ut Christus Dominus Joan. 5. v. 43. prædixerat.

Q. *Quamdiu dominabitur Antichristus?*

R. Tribus annis & mediò, ut colligunt omnes Scriptores ex Danielis 7. v. 25. Proinde

etiam

etiam Christus Mat: 24. ait: *Abbreviandos dies illos propter Electos.*

Q. *Quis homines defraudatos denuò ad Christum convertet ?*

R. Enoch & Elias, ut colligitur ex Malach. c. 4. v. 5. & Mat. 17. v. 11. 12.

Q. *Quid igitur sentiendum de iis, qui non verentur, Romanos Pontifices, per tot Secula sibi succedentes, calumniosè Antichristos appellare ?*

R. Eorum, quarti modi proprietatem esse, ut, cùm argumentis non valeant, saltem conviciis, Ecclesiam Romanam, suis exosam reddāt

Punctum 2.

De universali Mundi Judicio.

Q. *Quid persecutionibus Antichristi, & desolationibus totius mundi succedet ?*

R. Tunc Christus, congregatis omnibus hominibus descendet de Cælo ad universale Judicium. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli cum virtute magna & Majestate.* Mat. 24. v. 30.

Q. *Ob quam causam universale hoc mundi Judicium instituendum ?*

R. 1. Ut omnes videant, quàm recta olim fuerint Judicia DEI, quanta auxilia ad salutem omnibus dederit, modò ipsi cooperari voluissent: quare toties impios exaltari, pios verò conculcari permiserit &c.

2. Ut revelentur omnia etiam cordium abscondita.

Q. *Num*

Q. *Num etiam illa peccata, quæ homines cum debita contritione confessi sunt, illo die revelanda?*

R. Censeo quòd non: cùm Dominus ipse toties pollicitus sit pænitentibus: *Iniquitatum ejus non recordabor.* Ezech: 18. v. 22.

Q. *Quid tandem dicet Dominus iis qui veræ Fidei bona Opera adjunxerunt?*

R. *Tunc dicet Rex, venite benedicti Patris mei, possidete Regnū, esurivi enim & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere* &c. Mat. 25. v. 34.

Q. *Quid dicet illis, qui aut non rectè crediderunt, aut Fidem suam bonis Operibus non vivificarunt?*

R. *Tunc dicet, discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare* &c. Mat. 25. v. 41.

Q. *Quid præterea iis, qui solam Fidem ad salutem sufficere, pertinaciter tuentur?*

R. *Non omnis, qui dixerit mihi, Domine Domine, intrabit in Regnum Cælorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei.* Mat. 7. v. 21.

Punctum 3.

De Inferno.

Q. *Quid est Infernus?*

R. Est terribilis carcer subterraneus, ubi impænitentes peccatores igne torquentur.

Q. *Estnè omnium damnatorum æqualis cruciatus?*

R. Non, sed qui plura secum attulerunt pec-

peccata, magis torquendi: *Reddet unicuique secundùm opera ejus.* Mat. 16. v. 27.

Q. *Quando tandem finienda hæc tortura?*

R. Nunquã, in æternũ; *Ibunt enim in ignem æternum.* Mat. 25. *Et Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Isai. 66. v.24.

Punctum 4.

De Gloria Cælesti.

Q. *Quantam habent atque habebunt Beati Gloriam in Cælis?*

R. Ineffabilem. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEus diligentibus se.* 1. Cor. 2. v, 9.

Q. *In quo consistit Gloria substantialis Beatorum?*

R. In clara & perpetua visione DEI sicuti est, qui est omne bonum: & in fruitione DEI, seu gaudio quod nemo tollet ab illis.

Q. *Quid de hoc Scriptura?*

R. *Beati quoniam DEum videbunt.* Mat. 5. v. 8. Et: *Intra in gaudium Domini tui.* Mat. 25. v. 21.

Q. *Quomodo videndo omne Bonum, adeo satiari poterimus?*

R. Quoniam illa Visio non est talis, quali aliàs bona creata intueri consuevimus, mediante quadam specie externa; sed intima, vi cujus præterea ita compenetrabitur Anima beata cum illo summo Bono, sicut ferrum candens cum igne compenetrari solet: ideoq; hæc Visio DEI, Possessio summi Boni meritò nuncupatur.

Q. *Num*

Q. *Num etiam præterea sensus nostri corporei, speciale oblectamentum habituri?*

R. Ita sanè, præsertim ii, in quibus speciale aliquid pro Gloria DEI passi sumus.

Q. *Æqualisnè omnium Sanctorum Gloria?*

R. Non, sed juxta mensuram operum suorum: *Tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.* Mat. 16.

Q. *Quam similitudinem affert S. Paulus?*

R. *Stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* 1. Cor. 15. v. 41.

Q. *Poteritnè hæc inæqualitas Gloriæ, præbere Beatis occasionem alicujus invidiæ aut dissensionis?*

R. Nullatenus: & quidem ideo, 1. Quoniam omnium voluntates plenissimè conformes sunt Divinæ voluntati.

2. Quia cujusvis statui, juxta mensuram gratiæ quam in hoc mundo lucratus fuerat, commensuratus est gradus Gloriæ.

Q. *Declaretur id in Exemplo?*

R. Pater habet duos Filios, quibus de eodem serico similia comparat vestimenta: certè minor natu Frater, non poterit majori longiorem invidere vestem, siquidem hæc staturæ suæ non est proportionata.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat Anima mea ad te DEUS. Sitivit Anima mea ad DEUM fontem vivum: quando veniam & apparebo ante Faciem DEI. Psal: 41. v. 2. 3.

(†)

REGESTRUM

Quæstionum & Rerum notabiliorum.

De Fide Christiana.

De

De Spe & Fiducia Christiana.

De Charitate & Præceptis.

De Sacramentis.

De rea-

De Officiis Juſtitiæ Chriſtianæ.

1 G. Hauenb. Theol. Conti recensetur in
N. W. H. 1723. 944 – 947. cum epicrisi
ad Dedicat. eidem praem.

2 Ad p. 82 Cur sacramenta Latino idio-
mate administrentur? v. pl. Schlüsselburg
Catal. Haer.